Quaestiones Curtianae

criticae et grammaticae.

Inaugural-Dissertation

verfaßt und der

HOHEN PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT I. SEKT.

der

K. Ludwig-Maximilians-Universität in München

zur

Erlangung der Doktorwürde

am 20. Februar 1903

vorgelegt von

Otto Büttner

aus Oberwestern.

MÜNCHEN.

Buchdruckerei von J. B. Lindl.

1903.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41552325_0014

Quaestiones Curtianae

criticae et grammaticae.

Inaugural-Dissertation

verfaßt und der

HOHEN PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT I. SEKT.

der

K. Ludwig-Maximilians-Universität in München

zur

Erlangung der Doktorwürde

am 20. Februar 1903

vorgelegt von

Otto Büttner

aus Oberwestern.

MÜNCHEN.

Buchdruckerei von J. B. Lindl.

1903.

IN Perroneanis et Thuanis (Coloniae Agrippinae 1694) de Quinto Curtio Rufo hoc iudicium ex summo studio profectum legimus: 'Quinte Curce est le premier de la Latinité, si poli, si terse, et est si admirable qu'en ses subtilites il est facile, clair et intellegible'. Cui laudi summae quamquam nos non plane consentimus, tamen non fieri potest, quin sermone Curti delectemur. Nam hic scriptor concinnitatem et perspicuitatem orationis Ciceronianae exornavit novi generis dicendi luminibus. Cum oblectamento fluit eius sermo, qui quasi medius est inter Ciceronem et Tacitum atque claritatem dulcedine coniungit. Sed in codicibus illae scriptoris virtutes saepenumero in corruptelis mendisque a librariis illatis occultae latent. Itaque illis viris doctissimis et praeclarissimis maxima gratia habenda est, qui quae ratio inter codices intercederet, exquirerent et genuinam lectionem multis locis restituerent. Praecipua laus debetur Muetzellio, Zumptio, Hedickio, Theod. Vogelio, Max Schmidtio, Damsteio, qui fructus operis et sagacitatis suae in editionibus reposuerunt. Editorum studia adiuta sunt ab aliis viris doctissimis, ex quo numero dico Eussnerum, Dossonium, Kinchium, R. Novákium, Meiserum, Prohazelium, Weinholdtium. Qui quamquam verbis scriptoris a corruptelis purgandis operam navaverant utilissimam, tamen Thomas Stangl supervacaneum atque inutile non esse putavit historias Curti denuo edere. Ego quoniam et dictione et sententiis Curti delector, mihi proposui, ut coniecturas a Stangelio factas examinarem, et, quae mihi maxime probarentur, tuerer, alias refutarem ac, si quid mihi ipsi occurreret emendatione dignum, illud quoque ederem.

Praeterea id potissimum studebam, ut Curti copiam verborum usum compositionemque planius exponerem atque illustrarem, quam illustravit Theod. Vogel, quem ad exquirendum huius scriptoris sermonem plurimum contulisse minime nego. Coërcebatur voluntas mea angustiis temporis. Quare quisquis iudicabis de hac dissertatione, quaeso, bona venia iudices.

DE CODICIBUS CURTIANIS.

Quae ratio inter codices historiarum Curti extet, supersedeo planius disserere. Nam opinionem, quam Hedicke de hac re edidit (de Curti codd. fide atque auctoritate. Bernb. 1870), doctissimi viri secuti sunt, nemo luculentis causis refutavit. Hedicke autem statuit codicem Parisinum, quamquam a simplici homine vitiose transcriptum, genuinas lectiones sive apertas sive occultas diligentissime et accuratissime servare et primo loco in consilium adhibendum esse, secundo loco libros alterius generis Bernensem, Florentinum, Leidensem, Vossianum. Vaticanum-Reginensem autem ex ipso Parisino nullo codice interiecto originem ducere primus Kinchius (Quaest. Curt. crit. Hauniae 1883) recte vidit.

Altera familia, quae codicibus interpolatis repraesentatur, prope nihil ponderis pretiique habet.

Ad codices in contextu huius dissertationis significandos his notis utar:

P = Parisinus;

B F L V = Bernensis, Florentinus, Leidensis, Vossianus.

A = consensus codd. P B F L V.

C = consensus codd. B F L V.

I = codd. interpolati.

DE LIBRIS, QUIBUS USUS SUM.

Ad hanc elaborandam commentationem has editiones adhibui: Q. Curti Rufi hist. Alex. Mag. Mac. libri, qui supers. E. Hedicke recens. Berol. apud Weidmannos 1867. Q. Curti Rufi hist. Alex. Mag. Mac. libri qui supers. recog. Theodorus Vogel. Lipsiae in aed. B. G. Teubneri 1881. Q. Curti Rufi hist. Alex. Mag. libri qui supers. Für den Schulgebrauch erkl. von Theodor Vogel. Erstes Bändchen, Buch III—V. Dritte Auflage, 1885. Zweites Bändchen, Buch VI—X. Zweite Auflage, 1880. Leipzig, Druck und Verlag von B. G. Teubner.

Q. Curti Rufi hist. Alex. Mag. Mac. libri qui supers. Ed. P. H. Damsté. Groningae, in aed. J. B. Wolters, 1897.

Q. Curti Rufi hist. Alex. Mag. Mac. libri qui supers. Für den Schulgebrauch herausgegeben von Th. Stangl. Leipzig, Verlag von G. Freytag, 1902.

Codicum lectiones et doctorum coniecturas, quas afferendas putavi, repperiri possunt, si nihil aliud addo, in apparatu critico editionum Hedickii et Damstei. Alii libri suo loco afferentur.

III 3, 1.

In codd. A legimus: „Thymodes erat, Mentoris filius, impiger iuvenis: cui praeceptum a rege, omnes peregrinos milites, in quis plurimum habebat spei, a Pharnabazo acciperet opera eorum usurus in bello".

Arnoldus Hug, quem sequuntur Vogel, Damsté, Stangl, censet participium futuri 'usurus' emendandum esse, scilicet quod non congruat cum eo nomine, ad quod sine dubio pertineat, i. e. 'a rege'. Quamobrem scribunt 'usurum se'. Sed errant docti illi homines. Nam cum animo scriptoris tamquam subiectum Dareus obversaretur, eo magis, quod Dareus in sententia relativa interposita ('in quis plurimum habebat spei') vere est subiecti loco, Curtius nominativo participii usus est. Quid quod nemo Romanus, qui Curtium legebat, verba 'opera eorum usurus in bello' ad alium quemquam, nisi ad summum ducem i. e. ad regem referebat (comp. Vogel I[3] pag. 76 ad hunc locum)? Constructionem verborum non minus miram, quae scriptoris, non librarii est, invenimus altero loco V 10, 5/6: „Diu omnibus cogitatis placuit per milites Bactrianos ad omne obsequium destinatos regem comprehendere mittique nuntium ad Alexandrum, qui indicaret vivum adservari eum: si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset, occisuri Dareum et Bactra cum suarum gentium manu petituri". Hoc loco scriptor oblitus est se verbo, quod est 'placuit', supra usum esse et participia sententiae interiectae 'id quod timebant', accomodavit. Exempla multo maiore admiratione digna ex aliis scriptoribus affert Madvig (Lat. Sprachlehre 1857, § 480, ubi de *ἀναχολούθῳ* tractatur).

III 6, 10.

In A est: „'Rex', inquit, 'semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc vere, arbitror, sacro et venerabili ore trahitur'".

Perspicuum est pronomen poss. II. pers. cum 'ore' congruens desiderari. Plerique Hugio suadente edunt: „sed nunc vere,

arbitror, sacro et venerabili ore ⟨tuo⟩trahitur". Rectius Stangl: „sed nunc vere arbitror sacro et venerabili ore trahi tuo". Certe ne unum quidem exemplum inveni, quo id, quod est 'arbitror' pariter atque 'opinor' (VI 6, 11), 'credo' (III 2, 16; III 13, 17; IV 15, 11; V 1, 27; VI 9, 35; VII 8, 9; VIIII 5, 11) similiaque verba extra sententiae constructionem inseri posse probetur. Deinde Curtius triginta locis, quos collegi in additamentis pag. 36 sq., pronomen possessivum in clausula circuitus ponit et quidem ita saepe, ut verbum includatur nomine substantivo et eo, quod ad id nomen pertinet, pronomine possessivo. Non dubium est, quin pronomini ita posito maior vis insit, id quod hoc ipso loco requiritur. Etiam Cicero haud raro pronomen possessivum rhetorice in clausula ponit, velut legg. 2, 45 o miram memoriam Pomponi tuam! de or. 2, 276: Quod ego non cognosco vocem, inquit, tuam?

Ne illud quidem ei coniecturae obstat, quod 'arbitror ... ore trahi tuo' scribitur non addito 'eum' h. e. spiritum, quod substantivum est subiectum superioris sententiae. Nam pronomen demonstrativum et personale tam crebro a Curtio omitti videmus, ut supervacuum atque inutile sit, exempla enumerare. (De hac re agitur apud Vogelium I³ praef. § 121).

III 6, 19/20.

Vogel interpungit: „Aetas quoque vix tantis matura rebus, sed abunde sufficiens omnia eius opera honestabat et — quae leviora haberi solent, plerumque militari gratiora vulgo sunt — exercitatio corporis inter ipsos, cultus habitusque paulum a privato abhorrens, militaris vigor: quis ille vel ingenii dotibus vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat". Adnotat tamen idem in commentario critico: „Schwanken kann man, ob plerumque nicht zu solent zu ziehen sei (vergl. Sall. Iug. 66, 2; Liv. 6, 34, 5); es würde dann der volle Nachdruck auf militari fallen, auch im 2. Glied eine Beschränkung hinwegfallen, die dort sehr entbehrlich scheint". Ego aeque ac Stangl huic opinioni assentior. Nam Curtius non dicere potest ab universis hominibus exercitationem corporis quaeque alia affert levia existimari, sed necesse esse omnibus militibus, non plerisque, illa grata esse. Vis sententiae prioris continetur adverbio 'plerumque', quod ideo graviter in clausula ponitur. Quintilianus quidem praecipit (inst. orat. IX, 4, 29): „Saepe tamen est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiae latet, transire intentionem et obscurari circumiacentibus solet; in clausula positum assignatur auditori et infigitur: quale illud est Ciceronis, Ut tibi necesse esset in conspectu populi Romani

vomere postridie“. Quid, quod aliis quoque locis apud Curtium adverbio verborum comprehensio sive tota sive comprehensionis pars, et rhetorico quidem more, clauditur.

Superioris generis haec sunt exempla: V 13, 1: fugientem insequi pergit strenue. VII 3, 10: Vites et arbores si quae in tanto terrae rigore durare potuerunt, obruunt penitus. VII 7, 16: Utribus amnem traiciendi exemplum fecimus nuper. VII 8, 24: Salubre consilium sequens quam praesens tempus ostendet melius.

Ad posterius genus haec pertinent: IV 3, 15: inde missilia in propugnantes ingerebantur tuto, quia ... IV 6, 9: multique vulnerabantur impune, cum ... IV 11, 16: Nuntiate Dareo me, quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae eius... IV 11, 22: Legati respondent, cum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustraretur. VII 10, 13: Hic, quia limum vehit, turbidus semper, insalubris est potui. VIII 5, 16 Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas. VIIII 3, 5: Idem animus est tuis, qui fuit semper, ire, quo iusseris ... VIIII 8, 18 hostem secuturum profecto, si ... X 2, 27: Facessite hinc ocius, ego cum Persis abeuntium terga tutabor. X 5, 23: ipsum Dareum floruisse paulisper, ut... X 9, 8: quosdam ... subornavit, ut — quasi ignoraret ipse — quererentur palam, Meleagrum aequatum esse Perdiccae.

III 7, 6.

In A scriptum legimus: „Ibi Parmenio regi occurrit: praemiserat ad explorandum iter saltus.“ Hedicke, quem sequuntur Vogel et Damsté, scribit: „praemis ⟨sus⟩ erat ad expl. iter s.“; scilicet quod verba codicum ambigua esse putant. Atqui ipse Vogel Curtium monet saepe activo genere uti, ubi exspectamus passivum (I^3 praef. § 36). Itaque credo Stangelium recte scripturam librorum retinuisse. Nam ab usu dicendi Curtiano nequaquam abhorret, quod verbi, quod est 'praemiserat' deest et subiectum 'rex' et obiectum 'eum', si quidem utrumque ex contextu verborum intellegitur (Vogel I^3 praef. §§ 36, 23). Neque tradita verba falsam interpretationem patiuntur, cum fieri non possit, ut quisquam suspicetur regem ab inferiore duce praemissum esse. In add. (pag. 37 sqq.) 32 locos collegi, quibus subiectum 'rex', 61, quibus accusativus pronominis demonstrativi omittitur.

Quae cum ita sint, errare iudico Vogelium, cum subiectum 'rex', sive princeps, sive aliorum opinionem secutus his locis contra auctoritatem librorum inseri velit: III 8, 16/17: „motis ergo castris (Dareus) superat Pinarum amnem, in tergis, ut credebat,

fugientium haesurus. At illi, quorum amputaverat manus, ad castra Macedonum penetrant, Dareum quanto maximo cursu posset sequi nuntiantes. Vix fides habebatur. Itaque speculatores ⟨rex in⟩ maritimas regiones praemissos explorare iubet . . .“ Hac narratione alacriter procedente Curtius nos ab exercitu Darei in castra Macedonum ducit. Ex castris Macedonum autem nemini nisi Alexandro licuit speculatores praemittere. Itaque quisquis illa verba legerit attente, ipse cogitatione subiectum supplebit.

IV 12, 24: „Nec iam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent. Melius adhuc ratus in eodem cumulo castra munire, ⟨rex⟩ vallum iaci iussit.“ Facile intellegitur Macedonibus ab eorum rege imperatum esse, ut vallum iacerent.

IV 15, 6: „Non fefellerat Parmenionem, qui in laevo erat: propere igitur Polydamanta mittit, qui et periculum ostenderet, et quid fieri iuberet ⟨rex⟩, consuleret.“ Nec vero rectius Hedicke scribit: „mittit ⟨ad regem⟩“. Nam Parmenio, qui ipse alteri cornui praeerat, quem alium interrogaret, quid fieri iuberet, nisi regem, qui summam imperii teneret?

VI 5, 17: „Incolae autem ritu ferarum virgulta subire soliti tum quoque intraverant saltum occultisque telis hostem lacessebant. Ille venantium modo latibula scrutatus plerosque confodit. Ad ultimum circumire ⟨rex⟩ saltum milites iubet, ut si qua pateret, irrumperent.“ Subiectum praecedentis sententiae est 'ille' i. e. hostis sive Macedo. Hoc subiectum levi mutatione, quae praedicato, quod est 'iubet' efficitur, etiam sequentem sententiam regit.

VII 2, 13: „Iam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos, cum exanguem metu Polydamanta propius accedere ⟨rex⟩ iubet summotisque omnibus, 'Scelere', inquit, 'Parmenionis omnes pariter adpetiti sumus, maxime ego ac tu, quos amicitiae specie fefellit'.“ Hoc loco subiectum ad praedicatum, quod est 'iubet', pertinens a legentibus facile conicitur ex praecedente sententia relative 'quibus imperatum erat'. Nam cum a rege imperatum esset (VII 2, 11), ut Polydamas et fratres eius producerentur, perspicuum est neminem nisi regem productos iussisse propius accedere. Hi quinque loci, quibus subiectum in codd. omissum, in editionibus additum est — quater a Stangelio quoque — cunctae praedicato utuntur verbo iubendi.

Hic unus (X 1, 39): „Coeperat esse praeceps ⟨rex⟩ ad repraesentanda supplicia“ alio regitur praedicato. Sed hîc quoque subiectum ex contextu verborum sic facile conici potest, ut, quamquam praetermissionem subiecti duram esse fateor, tamen eam

ab sermone Curtiano abhorrere non iudicem. Nec miror equidem nomen Alexandri cum asperitate quadam crebro omissum esse. Obversatur enim scriptori semper ille, cuius vitam tradendam sibi proposuit, ut obliviscatur nomen eius commemorare, quem animo suo atque cogitatione complectitur.

Haud iustius obiectum, quod est pronomen demonstrativum, existimo suppleri his locis: III 11, 15: „quippe in circumagendis equis suis ⟨eos⟩ Thessali inulti occupaverant." Alii malunt „inulti ⟨eos⟩ occ." V 5, 17: „tristem enim de mortalitate ferre sententiam et desperare misericordiam, q u i e a m (codd. hab. 'quia') ipse alteri denegaturus sit". VII 2, 12: „saepius, quae nocere possent, quam quibus eluderet, reputans". Vide VII 1, 16 „ut refellant" (om. 'ea').

III 8, 17.

In codd. A scriptum legimus: „Itaque speculatores m a r i t i m a s r e g i o n e s p r a e m i s s o s explorare iubet, ipse adesset an praefectorum aliquis speciem praebuisset universi venientis exercitus." Hedicke secutus Zarotum emendat: „⟨in⟩ mar. reg." Vogel: „⟨r e x i n⟩ mar. reg." In editione stereotypa maluit: „⟨in⟩ maritimas regiones . . . explorare ⟨r e x⟩" . . . Nomen regis supervacaneum esse supra (ad III 7, 6) demonstravi: Emendationem autem „⟨in⟩ maritimas reg. praemissos" Vogel ipse iure falsam esse putat (I^3 pag. 91—92a). Quamobrem alteram proposuit: „itaque spec. m. reg. p r a e t e r I s s o n expl. iubet." Sed cur Alexander in eam ipsam regionem, unde saucii et invalidi Dareum sequi nuntiantes venerant, speculatores non miserit, ego non intellego. An non Alexandro, utrum verum esset necne, quod illi, quibus 'vix fides habebatur', nuntiaverant, exquirendum erat? Id quod Stangl Meiserum partim secutus in editionem suam recepit: „Itaque s p e c u l a t u m r e x m a r i i n e a s regiones praemissos explorare iubet", praeterquam quod longe abest a scriptura librorum aliis quoque de causis parum placet. Ego credo 'maritimas regiones' pertinere ad verbum explorandi et locum ordine verborum leviter mutato ita sanandum esse: „Itaque s p e c u l a t o r e s p r a e m i s s o s maritimas regiones explorare iubet . . ." Nam 'praemissos', pro quo verbo Max Schmidt frustra 'remissos' requirit, Curtio idcirco dicere licuit, quod exercitus signis conversis Dareo occurrebat; 'i n m a r i t i m a s r e g i o n e s praemissos' dicere non licuit, quod exercitus ipse ad mare versabatur. Accedit quod idem verbo praemittendi plerumque ita utitur, ut q u o illi mittantur, non significet, velut IV 12, 4: Praemissum deinde cum citis equitibus Menidan iubet explorare, ubi Dareus esset. VI 4, 14: speculatores

subinde praemittens, qui explorarent loca. (Cetera exempla reposui in addit. pag. 40).

Similiter Curtiana verba in codd. nostris suo loco mota sunt his 11 locis: IV 8, 15 Hedicke pag. 48 vers. 31; V 4, 11 Hed. pag. 81 v. 13; V 7, 9 Hed. pag. 88 v. 17—18 (ubi Scheffer hunc ordinem restituit: „Alias urbes, quas habuere Macedonum reges, nunc habent Parthi"); VI 7, 1 Hed. pag. 115 v. 31—32 (Vogel et alii: invictus-tutus; codd. tutus-invictus); VI 10, 2 Hed. pag. 123 v. 25; VI 10, 14 Hed. pag. 124 v. 26; VI 11, 7 Hed. pag. 127 v. 7; VII 9, 3 Hed. pag. 157 v. 18; VIIII 4, 11 Hed. pag. 209 v. 12; VIIII 6, 18 Hed. pag. 215 v. 21; VIIII 8, 27 Hed. pag. 221 v. 12—13.

III 8, 20.

Vogel, Damsté, Stangl scribunt: (Alexander) „illam ipsam fortunam, qua aspirante res tam prospere gesserat, verebatur nec iniuria ex his, quae tribuisset sibi, quam mutabilis esset, reputabat." Alexandrum fortunam veritum esse non miror; sed quomodo ex his ipsis, quae tribuerat ei ipsi, diiudicare poterat fortunam mutabilem esse? Nonne usque ad extremam vitam ei arriserat? Curtius quidem non desinit perpetuam Alexandri fortunam laudare, velut X 5, 35: „Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae: quam solus omnium mortalium in potestate habuit." Quamobrem magis probatur id, quod in codd. A legimus: „illam ipsam fortunam, qua aspirante res tam prospere gesserat, verebatur nec (= et non) iniuria ex his, quae tribuisset sibi, | quamque mutabilis esset reputabat." Quae verba sic interpretor: Alexander fortunam veritus est ex eo ipso, quod usque ad illud tempus numquam eum deseruisset; neque enim ignorabat, quam mutabilis esset (nimirum non quia ipse expertus esset, sed quod ex aliorum vicissitudinibus viderat). Vicissim Dareus secundam fortunam sperat ob id ipsum, quod fortuna adversa eum iam diu persecutus erat. Nam V 8, 14 Curtius eum loquentem facit: „Equidem quam versabilis fortuna sit, documentum ipse sum nec immerito mitiores vices eius exspecto". De usu negationis 'nec', ubi optimi scriptores praeferunt 'et non' tractat Vogel I³ pag. 29 § 66 et pag. 51 § 15 (Anm.). Comp. etiam IV 3, 19: „quippe domestico bello Poenos impediri nec de imperio sed pro salute dimicare nuntiabant." Accedit quod Curtius apud verba timendi similiter suum iudicium profitetur aliis quoque locis velut IV 15, 13: „et, ne cura recuperandi sua militem a proelio averteret, non immerito verebatur", X 7, 10: „haud iniuria metu supplicii territus cum suis secesserat".

III 12, 1.

In codd. A legimus: „Rex, qui diu Dareum persequendo fatigatus, postquam et nox appetebat et consequendi spes non erat, in castra paulo ante a suis capta pervenit.“ Certum est hanc scripturam falsam esse; nam 'qui diu — fatigatus' nemo interpretari vel probare potest. Plerique scribunt Heinsio duce: 'Rex quidem'. At plane supervacaneum est 'quidem', id quod etiam Vogel fatetur (praef. I³ § 156). Contra manifesto requiritur adverbium quoddam, quo quam vehementer Dareus agitatus sit significetur et cur Alexandrum fatigatum esse Curtius dicat, intellegatur. Nam illud etiam fieri solet, ut copiae victrices hostem cum moderatione quadam sequantur, qua defatigatio a copiis exercitatis prohibetur. Sic cum sentiret Stangl, edidit: „Rex avidius Dareum persequendo fatigatus . . .“; recte, opinor. Nam comparativum 'avidius' Curtius quater posuit et ter quidem adiunctum verbo sequendi et persequendi: IV 16, 29: fugientes . . . prudentius quam avidius persecutus est; VI 1, 2: donec avidius sequentes in planum deduxere, inulti cadebant. VIII 14, 26: Sed quidem avidius persecuti beluas in semet inritavere vulneribus; III 6, 17: Nec avidius ipsum regem quam Philippum intuebatur exercitus.

Praeterea apud eundem quatuor locis positivum gradum adverbii, undecim locis nomen adiectivum, semel substantivum 'aviditas' invenimus. (Addit. pag. 40).

Eandem vim, quam apud Curtium 'avidius', apud Caesarem adverbium 'cupidius' habet: b. G. I 15, 2: Qui cupidius novissimum agmen insecuti . . .; V 15, 2: Sed compluribus interfectis cupidius insecuti nonnullos ex suis amiserunt; V 44, 11: Dum cupidius instat, in locum deiectus inferiorem concidit; Hirtius VIII 12, 3: cupidius insecuti peditibus undique sunt circumdati; VIII 16, 2: Si qui cupidius intraverant.

III 12, 24.

In codd. A scriptum legimus: „et, ut video, dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam aequitate superaveris“. Haec verba corrupta esse omnes prope critici consentiunt. Quamobrem alii alia remedia adhiberi volunt. Aptissimum autem mihi videtur, id quod Stangl edit: „et, ut video, ⟨fide⟩ dignus es, qui . . .“ An mirum est, si mater Darei, cum ei, id quod paulo supra Curtius affirmat, fiducia (sc. sui) desit, fidem Alexandri implorat? Comparari autem possunt cum eo, de quo agitur loco, hae sententiae: V 13, 16: (Dareus) Alexandri fidem implorans negat se parricidas velle comitari. VIII 2, 27: At Oxartes

trepidum diffidentemque suis rebus Sisimithren coepit hortari, ut fidem quam vim Macedonum mallet experiri. VI 4, 13: Ceterum si, cui fidem daret, videretur indignus, multa exilia patere fugienti. VI 7, 9: cuius erga ipsum benevolentiae praeter alia hoc quoque haberet fortissimum pignus, quod caput suum permisisset fidei adhuc inexpertae. VII 2, 14: ... puniendum que: vide quantum fidei tuae credam.

Vogel, cuius vestigia Damsté, ut adsolet, premit, verba 'ut video' (i. e. *ἔγνωκα*) mutat. Atque Curtius verbo videndi eandem vim haud paucis locis subiecit, quos collegi in addit. (pag. 40 sq.).

Verum si mihi obicias voces 'video fide', quamvis ad diversa enuntiata pertineant intervalloque quodam interposito pronuntiari debeant, dissonas esse, commemorabo ex multis dissonantibus haec pauca: III 8, 5 crediturum sibi, si; IV 6, 16 in vanum manum; VIII 14, 4 ullus usus huius; VIIII 3, 23 equi quem; VIIII 4, 8 tria flumina tota India; VIIII 5, 28 linquique; VIIII 6, 17 fidissimi piissimique civium; VIIII 6, 21 transivi. Victor; VIIII 7, 21 mediam eam; VIIII 8, 30 sumptis amnis peritis; VIIII 8, 17 deinde die secundo; VIIII 10, 6 transit; ibi; VIIII 10, 12 ne equis quidem; VIIII 10, 26 alibi tibicinum.

Similes *ἁπλογραφίας* editores recentiores correxerunt: III 13, 7 hi cum ⟨hiemem⟩; IV 1, 15 ⟨dein⟩ descendit; V 5, 3 tota nocte ⟨vectus⟩; VI 6, 36 Hac manu adiecta ⟨adit⟩ Drangas; VII 7, 28 alia ⟨aliis⟩; X 9, 2 quam capiebat ⟨capitibus⟩.

III 13, 13.

In codd. A scriptum legimus: „In eodem grege uxor quoque eiusdem Ochi fuit Oxathrisque — frater hic erat Darei — filia et coniux Artabazi, principis purpuratorum, filius, cui Ilioneo fuit nomen."

Perspicuum est particulam copulativam inter 'coniux Artabazi' et 'filius' deesse. Quamobrem plerique edunt: „filius ⟨que⟩, cui Ilioneo fuit nomen"; at Stangl: „filius que: Ilioneo fuit nomen", id quod sermoni Curtiano accommodatius est. Nam sententiae extra verborum constructionem orationi interiectae aut clausulae circuitus subiunctae apud Curtium 25 inveniuntur, quarum illas collegi in add. pag. 41, has hic enumerabo:

IV 7, 18: Trogodytis cognomen est. IV 7, 22: Solis aquam vocant. IV 8, 10: Vivum Samaritae cremaverant. VI 4, 6: Ridagno nomen est. VIIII 10, 6: Arabum incolae appellant. Huc pertinent etiam hi loci, quibus Vogel parum apte interpunxit: V 3, 1 (rex) pervenit ad Tigrim flumen: Pasitigrim incolae vocant. Oritur ... VI 4, 6: ⟨adit⟩ Drangas: bellicosa natio est.

Eodem modo tractanda sunt, a) quae in codd. extant VIIII 7, 19: „aereum clipeum, hastam, quam sarisam vocant, laeva tenens, dextera lanceam.“ Gertz, cui assentitur Kinch (Quaest. Curt. crit. pag. 93), recte intellexit particulam copulativam necessariam esse inter 'clipeum' et 'hastam' (III 2, 13: clipeis hastisque; IV 4, 11: gladio clipeoque); non intellexit particulam eam corruptam latere in 'quam' (quā) item atque in Med. Tac. Ann. 14, 24 (vide Nipperdey) 'pluraque' abiit in 'plura quam'. Sed Stangl recte edidit: „aereum clipeum hastamque — sarisam vocant — laeva tenens.“

b) X 1, 18: „Hispanias deinde, quas Hiberiam Graeci a flumine Hibero vocabant, adire“. Vogel adnotat: „Da der Satz rein parenthetisch ist, so wäre quam dem Sprachgebrauch der Klassiker entsprechender.“ Recte, sed ego credo ne Curtium quidem scripsisse 'quas', sed id quod Stangl emendat: „Hispanias deinde duas — Hiberiam Graeci a flumine Hibero vocabant — adire“. 'Duae Hispaniae' probatur his locis: Caes. b. c. I 29: duas Hispanias confirmari nolebat. b. c. III 10: amissa Sicilia et Sardinia duabusque Hispaniis. b. c. III 73: quod duas Hispanias ... pacavisset. — Sed sine 'duae' b. c. I 85.

c) — Diversum librarii mendum est fortasse in VI 4, 16, ubi in libris legimus: "duo terrae eius velut brachia excurrunt" et emendamus aut cum Vogelio '⟨quo⟩ duo' aut cum Stangelio 'quo'.

IV 5, 8.

In codd. A scriptum legimus: „Se quoque, cum transiret mare, non Ciliciam aut Lydiam — quippe tanti belli exiguam hanc esse mercedem — sed Persepolim, caput regni eius, Bactra deinde et Ecbatana ultimique Orientis oram imperio destinasse.“

De particula 'quoque' scribit Krebs-Schmalz (Antibarbarus der lat. Spr. 6. Aufl. II 426). „Quoque, auch, verbindet nicht zwei Sätze miteinander, sondern bezieht sich im Satze nur auf ein einzelnes Wort oder auf einen einzelnen Begriff, welchem es daher auch fast immer unmittelbar enklitisch nachfolgt.“ Secundum hanc regulam 'quoque' in eo, quem supra attulimus, circuitu pertinet ad pronomen 'se'. Sed cum in praecedentibus sententiis nullum vocabulum sit, quocum pronomen 'se' (i. e. Alexandrum) iungatur, Vogel et Damsté particulam 'quoque' deleverunt, Stangl 'se quidem' pro 'se quoque' posuit. Illud mihi violentius videtur, quod non intellego, quomodo particula in libros illata sit; hoc argute excogitatum haud paucis exemplis probari potest; nam adv. 'quidem' apud Curtium 24 × coniungi cernimus cum pronomine personali (se quidem: VI 6, 5; VI 9, 18;

VIII 10, 29; cet. exempla reieci in addit. pag. 41). Similibus causis Stangl in VIII 10, 36, ubi in libris legimus: „Puero quoque certe postea ex ea utcumque genito Alexander fuit nomen“ particulam 'quoque' in 'quidem' mutat, cum Kinch locum sanare velit particula 'quoque' in praecedentem versum translata, ubi a nullo requiritur. Sed 'quidem certe', quamquam cum alii Latini scriptores tum Cicero crebro sive coniuncta sive seiuncta usurpant, tamen a Curti historiis abest. Itaque dubitare coepi, utrum Stangeli coniectura an scriptura in codd. tradita recta sit. Et occurrerunt perlustranti mihi libros alii Curti loci, quibus particula 'quoque' aeque ac supra non ad unum vocabulum pertinet, sed totam sententiam ad praecedentem adiungit, ita ut Germani particulam 'auch' in oratione minus accurata usurpant:

VI 4, 25: Satrapen deinde Hyrcaniae dedit Menapin: exul hic regnante Ocho ad Philippum pervenerat. Tapurorum quoque gentem Phradati reddidit. VI 6, 5/6, ubi cum Hedicke interpungo: „Et ille se quidem spolia Persarum gestare dicebat, sed cum illis quoque mores induerat, superbiamque habitus animi insolentia sequebatur. Litteras quoque, quas in Europam mitteret, veteris anuli gemma obsignabat, iis, quas in Asiam scriberet, Darei anulus imprimebatur, ut adpareret unum animum duorum non capere fortunam“. (Vogel quidem verba 'Litteras . . .' usque ad 'inprimebatur' falso huic loco insertum esse iudicat; sed iniuria, ut opinor; nam Curtius his verbis dicit in Alexandro duos quasi animos fuisse, ipsius animum et animum Darei. Id ex eo apparuisse, quod tum suo anulo, tum Darei epistulis obsignaret).

VIII 1, 41/42: Clitus cum abstraheretur, ad pristinam violentiam ira quoque adiecta, suo pectore tergum illius esse defensum, nunc, postquam tanti meriti praeterierit tempus, etiam memoriam invisam esse proclamat. Attali quoque caedem obiciebat et ad ultimum Iovis, quem patrem sibi Alexander assereret, oraculum eludens, veriora se regi quam patrem eius respondisse dicebat.

Huc pertinet, nisi fallor IV 11, 13, ubi in C scriptum est: „Macedoniam quoque potius respiceret, quam Bactra et Indos intueretur.“ Nam etsi 'quoque' in P deest, tamen verisimilius puto particulam in P ante 'potius' excidisse, quam in C illatam esse.

In his omnibus exemplis particula 'quoque' secundum locum circuitus obtinet et post nomen substantivum aut pronomen, quod est substantivi loco, posita est.

Facilius in VIIII 9, 7 explicari et defendi potest 'quoque', quod Vogel delevit, Stangl in 'quidem' mutavit. Legimus enim eo loco: „Itaque ingenti alacritate nautici remigant et proximo quoque die, quo propius spes admovebatur, crescebat ardor animorum.

Tertio iam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc aestu confundente dispares undas.“ Nam haec sententia particulae subest: Eodem ardore, (quin etiam maiore) quo primo die, milites proximo ardebant.

Aliter explicanda est particula, de qua disputamus, in VII 4, 22, ubi in codd. scriptum legimus: „Alexander Caucasum quidem, ut supra dictum est, transierat, sed inopia frumenti quoque prope ad famem ventum erat“. Guinta, cum quo recentiores faciunt, adverbium 'quoque' deleri vult. Verum si 'quoque' falsum est, primum aliud vocabulum quaerendum est, unde mendum natum videatur. Occurrit mihi 'frumenti pecorumque', velut legimus: VIIII 6, 3: pervenit in regionem desertam quidem ab incolis, sed frumento et pecoribus abundantem. V 5, 24: armenta cum pecoribus ac frumento data. VIII 4, 19: nam Sisimithres multa iumenta et camelorum duo milia adduxit pecoraque et armenta: quae distributa pariter militem et damno et fame liberaverunt. VIIII 8, 29: magnae inde praedae actae sunt pecorum armentorumque, magni vis reperta frumenti.

Optimo autem iure Stangl a scriptura codicum recedere noluit. Particulam 'quoque' hîc interpretor 'sogar' Curtiumque haec significare voluisse credo: „Non modo pecora et alii commeatus, sed etiam — id quod multo gravius est — frumentum exercitum defecerat“. Frumentum vero rem esse militi unam omnium maxime necessariam et qua diutius quam perpaucos dies sine maximo et corporum et animorum detrimento non careant, cum per se apparet, tum eis, quae Curtius exponit X 8, 11/12: „His cogitationibus animos exedebant, cum adnuntiatur equites, qui sub Perdicca essent, occupatis circa Babylona campis frumentum, quod in urbem vehebatur, retinuisse. Itaqua inopia primum, deinde fames esse coepit“. Quid quod Caesar, vir militaris rei usu scientiaque magis quam veterum quisquam peritus, nec semel nec secus de eadem sententia dicit; velut VII 17, 3: „. . summa difficultate rei frumentariae adfecto exercitu . . . usque eo, ut complures dies frumento milites caruerint et pecore ex longinquioribus vicis adacto extremam famem sustentarent“. — Particulam 'quoque' autem apud Curtium vim gradationis tenere Vogel in praef. I[3] pag. 51 § 153a[1] exposuit. (Exempla collegi in addit. pag. 41).

IV 6, 9.

Habent codd. A: „multique vulnerabantur impune, cum idem recipiendis qui admovendis turribus labor eos fatigaret“.

Haud scio an nemo hunc ablativum gerundivi, qualis sit, ex-

plicare possit, scribendumque suspicor: „cum idem ⟨in⟩ recipiendis qui admovendis turribus labor eos fatigaret".

Praepositio, quamquam ante alterum membrum plerumque repetitur, tamen haud raro praetermittitur (v. Nägelsbach, lat. Stil. § 121 et Nipperdey ad Tac. ann. II 68).

Ex Curtio haec exempla afferam: III 3, 3: in eo vestis habitu, quo ipse fuisset; IV 15, 11: in eodem, quo antea fuit, perseveravit; VII 7, 10: Sed necessitas ante rationem est, maxime in bello, quo raro permittitur, tempora legere; VIIII 5, 1: multo magis ad famam temeritatis quam gloriam insignem; V 1, 1: Quae interim ductu imperioque Alexandri vel in Graecis vel Illyriis ac Thracia gesta sunt; X 5, 15: Babylonii alius e muris, alius culmine sui quisque tecti prospectabant. Dubium est VIII 8, 8: Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed etiam ⟨in⟩ (P? om. C) illorum, qui parent, ingeniis sita est.

(Ea exempla, in quibus Curtius praepositionem repetit, reieci in addit. pag. 41 sq.).

Ablativo gerundivi addita praepositione 'in' Curtius his septem locis utitur: III 11, 15: in circumagendis equis suis Thessali inulti occupaverant. III 12, 16: libertatis quoque in admonendo eo non alius magis ius habebat. IV 4, 17: in quibus occidendis defecerat rabies. IV 14, 6: se .. in illis colendis ornandisque usurpare victoriae praemia. V 7, 1: illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem. VIIII 3, 22: summo in aedificanda classe amborum studio usus. VIIII 6, 21: videorne vobis in excolenda gloria ... posse cessare?

Abl. gerundivi addita praepositione 'de': X 8, 14: Placebat autem legatos ad equites mitti de finienda discordia armisque ponendis.

Abl. gerundivi praepositione non addita: IV 6, 29: Achillem imitatum se esse pœna in hostem capienda. VIIII 2, 10: abundantes onustosque praeda magis parta frui velle quam adquirenda fatigari.

(Cunctos ablativos gerundii collegi in addit. pag. 42 sq.).

Ergo ratio ablativorum gerundivi, si dubium locum praetermittimus, sic se habet:

Abl. gerundivi sine praepositione 2
Abl. gerundivi praep. 'in' addita 7
Abl. gerundivi praep. 'de' addita 1.

(Haud multo secus ratio apud Ciceronem se habet, quam Walter J. Snellmann (De gerundiis orationum Ciceronis, Helsingforsiae 1894) statuit sic:

Abl. Gerundivi sine praepos. 51

Abl. gerundivi praep. 'in' add. 151
Abl. gerundivi praep. 'de' add. 79
Abl. gerundivi praep. 'a' add. 7).

Coniectura, de qua disserimus, eo affirmatur, quod praepositio 'in' haud raro a Curti librariis alibi praetermissa alibi relicta est, velut hodie edere solent: III 4, 1: copiis ⟨in⟩ regionem; III 4, 11: qui ⟨in⟩ subeuntes; IV 12, 3: contendit. ⟨In⟩ duo cornua; IV 13, 38: Sed ⟨in⟩ conspectu omnium; V 1, 25: pedum ⟨in⟩ latitudinem; VI 2, 16: similes ⟨in⟩ tabernacula; VI 5, 21: Iam ⟨in⟩ aliquantum; VII 1, 29: propemodum ⟨in⟩ tua verba; VIIII 3, 9: semper ⟨in⟩ incremento; X 5, 12: Euphraten ⟨in⟩ mediis hostibus.

Atque eo quidem de quo disputamus loco, cum et antecedant verba 'movendis inutilis turribus' et insequantur 'admovendis turribus', praepositionem ante 'recipiendis' a librario praeteritam esse ac relictam putandum est.

IV 9, 9.

Est in codd. A: „Iam pervenerat Arbela vicum, nobilem sua clade facturus".

Vogel (I³ praef. § 71) scribit: „Auffällig (ist) Arbela vicum für in vicum". Ego cum Vogelio ita facio, ut hunc accusativum carere praepositione omnino non debere censeam. Persuasum est mihi Curtium scripsisse: „Iam pervenerat Arbela, vicum ⟨ignobilem⟩ nobilem sua clade facturus", id quod egregie probatur hoc exemplo: VIIII 6, 22: Dabo nobilitatem ignobilibus locis". Haud longe discrepant hae sententiae: IV 6, 30: Obsidio certe non tam claritate urbis nobilitata est quam geminato periculo regis. Tac. hist. I 2, 6/7: nobilitatus cladibus mutuis Dacus. — Alibi quoque Curtius nomine adiectivo, quod est 'ignobilis', exiguitatem locorum et gentium significat, velut V 3, 9: castelli exigui et ignobilis; VI 2, 12: Hinc in Parthienen perventum est, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui ...; VIII 11, 2: multa ignobilia oppida deserta a suis; VIIII 6, 11: tuo vero capite ignobilem vicum emi quis ferat?

IV 10, 27.

In codd. A scriptum legimus: „quod maxime suspicor, et loqui timeo". Vogel edit 'et eloqui' comparatque: VIIII 6, 12: eloqui timeo. X 2, 15: eloqui metuo. Sed si quis asyndeto adversativo Curtium certe vicies uti consideraverit (v. in add. pag. 43 sq. et Vogel I³ praef. § 156), ne hîc quidem dubitabit omissa particula 'et' scribere cum Stangelio: „quod maxime suspicor, eloqui timeo."

IV 12, 4.

In P scriptum est: „Praemissum deinde cum scytis equitibus Menidan iubet explorare, ubi Dareus esset.“ (In C: scitis.) Cum Scythae in exercitu Alexandri non fuerint, sed identidem adversarii illius exstiterint, doctus ille Freinsheim, cuius sententiam posteriores edd. amplexi sunt omnes, pro 'scytis' scribit 'citis'. Sed quid hoc epitheton sibi vult? An citi equites tardioribus opponuntur? Sed nusquam apud Curtium haec duo genera equitum in exercitu Alexandri fuisse legimus. Fortasse Curtius scripsit, id quod Stangl ex Tacito mutuatus est: 'cum suetis equitibus, id est eis, quibus Menidas assueverat, quibus praeesse solebat. Certe ea sententia apud Curtium compluribus locis occurrit: III 9, 4: adsueta corporis custodia; III 12, 2: invitari deinde amicos, quibus maxime adsueverat, iussit; V 4, 14: cum peditibus, quis adsueverat; V 12, 9: Custodiae eius adsueti. VI 4, 2: Cratero relicto cum iis copiis, quibus praeerat; VII 6, 8: equites, cum quibus rex proelia inire solitus erat; VIII 2, 35: nobiles invenes comitari eum soliti; VIII 12, 16: cum isdem insignibus, quis adsueverant, cum ipsum veherent; VIII 13, 20: adsuetam comitari ipsum cohortem; VIIII 3, 18: Omnibus praeter adsuetos adire prohibitis; VIIII 8, 3: eos autem, qui comitari eum solebant, imponit in naves; X 1, 32: amiculo, cui adsueverat ipse, solium, in quo corpus iacebat, velavit; X 5, 8: nobiles pueri custodiae corporis eius adsueti.

At enim simplici nomine adiectivo, quod est 'suetus', Curtius nusquam in eis, qui extant libris, utitur. Concedo nisi Hedicke 'ac sueti' (X 5, 17) in P scriptum recte tuetur contra 'ad sueti' in C (B. Ph. W. 1899 Nr. 45). Sed idem valere moneo de aliis non paucis sive verbis sive verborum constructionibus. An legisti apud Curtium adiectivum 'citus'? 'Suetus' autem et apud Livium et apud Tacitum invenias, quorum ille a Curtio totiens expressus est, hic Curtium ipse haud ita raro imitatus est.

IV 13, 9.

In codd. A est: „Malo meae fortunae paeniteat, quam victoriae pudeat“. Recentiores e codd. interpolatis edunt: „Malo ⟨me⟩ meae . . .“ Stangl vetustiorum codd. auctoritatem recte tuetur secludique iubet 'me'.

Nam Curtius compluribus locis personale pronomen non adiungit verbis paenitendi, pudendi similibusque, ubi adiungi exspectes:

IV 10, 32: Num, quod et scire expeto et quaerere pudet (sc. me) ausus est? VIII 5, 19: Non pudet patriae (sc. me), nec

desidero . . . X 2, 26: Nec pudet (sc. vos) . . . reverti velle. X 2, 25: Asiaene pertaesum est (sc. vos)? — De eisdem verbis sine demonstrativo pronomine positis dixi in addit. pag. 44.

IV 14, 22.

Habent codd. A: „Nisi quid in vobis ipse, ego maiore mei parte captivus sum".

Vogel aliique edunt: „in vobis opis est"; Heinsius et Hedicke: „spei est"; Stangl scribit: „nisi quid in vobis spei" (sine 'est'), id quod propius accedit ad scripturam librorum. Haec coniectura maxime probatur hoc loco: V 8, 14: „Si hic animus, si haec lex, nulli non parta libertas est". Hedicke post 'animus' prave invexit ⟨omnibus est⟩; alii ⟨est⟩ inserunt post 'lex'.

Quid quod etiam Cicero scribit:

Parad. 4, 2: cur hostis Spartacus, si tu civis? Phil. 3, 6: nam si ille consul, fustuarium meruerunt legiones. Phil. 4, 2: nam, si ille non hostis, hos, qui consulem reliquerunt, hostis necesse est iudicemus.

Mendum falsa relatione (velut VII 1, 35 'militiae suae' pro 'militiae ius') ad sequens pronomen personale 'ego' esse ortum videtur, nisi forte securia librarii litteras vocabuli confusas esse malumus putare, velut IV 8, 12 'eaque' pro 'aequa', V 16, 4 'nemo non' pro 'ne omen' scriptum est.

Verbi substantivi forma 'est' haud raro a Curtio omittitur in participiis temporis perfecti etiam in sententiis ex coniunctione aut pronomine relativo pendentibus. Kinch quidem (Quaest. Curt. crit. pag. 30 ad III 3, 1) illos tantum affert locos, ubi relativum pronomen ponitur pro demonstrativo; id est III 3, 1 et VII 11, 19. Sed ego miror cur hos locos praetermittat: IV 16, 1: Parmenio, sicut ante dictum (sine 'est': A), tuebatur. VII 5, 12: Tunc poculo pleno, sicut oblatum (sine 'est': P) reddito. VII 4, 25: Horum carne, dum in Bactrianos perventum (sine 'est': A), traxere vitam. X 6, 9: Optamus, ut marem enitatur, cuius regnum dis adprobantibus futurum (sine 'est': A), quandoque adoleverit.

Mihi persuasum est hunc usum dicendi, qui non ita saepe apud Ciceronem occurrit, a poëtis propagatum in prosam orationem illatum esse, ubi neque a Curtiano neque a Liviano sermone abhorret. Denique apud Tacitum tritum atque usitatum esse neminem fugit. Certe Latini scriptores in hac re exemplaria Graeca secuti sunt. Demostenes quidem non modo in sententiis superioribus, sed etiam in inferioribus post *εἰ, ὡς, ὅτι, τίς, τί* similiaque haud raro '*ἐστίν*' sive '*εἰσίν*' omittit. (Rehdantz, Dem. Ind. II pag. 100 sub 'Kopula').

Utrum Curtius 'spei' an 'opis' scripserit, vix quisquam diiudicabit; nam utramque vocem in simili verborum contextu invenimus: III 5, 13: si quid opis in medicis est; VIII 1, 20: quidam nullam opem in ipsis esse ducebant; VIII 9, 15: ne in gubernatoribus quidem quicquam opis erat; X 2, 29: quid opis in me uno sit.

III 3, 1: in quis plurimum habebat spei; V 11, 6: spes omnis in te; VIII 13, 3: quippe plus in beluis quam in exercitu spei ac virium illis erat; VIII 5, 18: in Aristono spes ultima haerebat.

IV 15, 17:

In codd. A est: „Paucae tamen evasere quadrigae in ultimam aciem, iis, quibus inciderunt, miserabili morte consumptis". Vogel scripsit: „quibus inciderant"; cui e recentioribus nisi Stangl nemo non assensus est. At Curtius in aliis quoque sententiis relativis, ubi plusquamperfectum exspectamus, perfecto tempore utitur: IV 10, 24: Semel omnino eam viderat, quo die capta est. VI 6, 27: haesitanti, quod ratio non potuit, fortuna consilium subministravit. VII 3, 15: si qui tuguria barbarorum adire potuerunt, celeriter refecti sunt. VII 6, 1: interea Macedones ad petendum pabulum incomposito agmine egressi, a barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur. VIII 2, 17: ad ultimum DCC suorum amissis, quorum CCC hostis cepit, dedere terga victoribus. VIII 4, 13: Excepere alios tecta barbarorum, quae in ultimo saltu abdita necessesitas investigaverat (!), alios castra, quae in humido quidem, sed iam caeli mitescente saevitia locaverunt. VIII 10, 4: equitatum ac levem armaturam eduxit eosque, qui occurrerunt (sic P., occurrerent: C et Vogel, occurrerant: Mützell), levi proelio in urbem proximam compulit. VIII 14, 45: mox donavit ampliore regno quam tenuit.

X 5, 37: clarissimique sunt habiti, qui etiam minimae parti tantae fortunae adhaeserunt (adhaeserant: Kinch, Vogel, Damsté).

Quae cum ita sint, ego censeo VI 6, 25 cum codd. A legendum esse: „ad expugnandos eos, qui edita montium occupaverunt, redit", quamquam Vindelinus et cunctae, quas evolvi, editiones habent: 'occupaverant'. Hi loci illis augeri possunt, ubi scriptor narratione procedente res ex priore aetate repetitas tempore perfecto, non plusquamperfecto tradit, velut:

IV 16, 27—29: „Ceterum hanc victoriam rex maiore ex parte virtuti quam fortunae suae debuit. Nam et aciem peritissime instruxit et promptissime ipse pugnavit et magno consilio

iacturam sarcinarum . . . contempsit, cum in ipsa acie summae rei videret esse discrimen dubioque adhuc pugnae eventu pro victore se gessit: perculsos deinde hostium fudit, fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, prudentius quam avidius persecutus est".

VIII 2, 17: „. . . dedere terga victoribus, haud sane inulti, quippe LXXX Macedonum interfecerunt, praeterque eos CCC et L saucii facti sunt". (Eundem usum dicendi apud Tacitum exposuit Draeger (Synt. und Stil des Tac.[2] pag. 11 § 27a).

V 1, 1:

In A traditum est: „Quae interim ductu imperioque Alexandri vel in Graecis vel Illyriis ac Thracia gesta sunt, si suis quaeque temporibus reddere voluero, interrumpendae sunt res Asiae. . ."

Ad 'ductu imperioque' Vogel recte adnotat: „Gemeint sind die kriegerischen Erfolge des Antipater in Macedonien nebst Nachbarländern, sowie in Griechenland. Der Ausdruck ist somit auffallend, da ductu im Gegensatz zu auspicio, auspiciis, imperio auspicioque die Leitung der Unternehmungen in Person bedeutet." Quod cum ita sit, nimis argute traditam scripturam sic defendere conatur: „Es erscheint somit Antipater nur als ein Unterfeldherr, der die Befehle seines Kriegsherrn und Oberbefehlshabers ausführt." Concedo, sed nihilo minus dici non potest Alexandrum, dum in Asia versatur, illias copias, quae in Macedonia et Graecia pugnabant, duxisse, quasi ipse eis signa daret itineris pugnaeque et praecederet. (Usus verbi ducendi cognoscitur ex V 13, 5; VIII 12, 1; V 1, 19; VIII 14, 1; VI 4, 2; IV 12, 7; IV 6, 23). Similiter Curtius etiam substantivo, quod est 'ductus' utitur. Nam in VI 3, 2 Alexandrum loquentem facit: „. . quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui" et in III 10, 4 scriptum legimus: „Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam atque ultima Orientis non ipsius magis quam suo ductu profecti, inveteratae virtutis admonebantur". Itaque sine ulla dubitatione scribo: „Quae interim ⟨Antipatri⟩ ductu imperioque Alexandri", sive nomen Antipatri post 'interim' securia librarii excidit (v. *ἁπλογραφίας* ad III 12, 24 pag. 12) sive propter sequentem genetivum 'Alexandri' consilio deleta est (comp. quae ad X 5, 32/33 pag. 33 dixi).

Neque mirum est Curtium non hîc aeque ac infra (VI 3, 2) scripsisse: „Antipatri ductu, imperio auspicioque Alexandri"; nam haec duo vocabula coniuncta non cernimus nisi in orationibus (V 9, 4; VI 3, 2; VIIII 3, 6; VIIII 6, 9).

V 7, 4.

In codd. A est: „Rex quoque avidior fuit quam patientior: 'Quin igitur ulciscimur Graeciam et urbi faces subdimus?'

Inutiliter Vogel et Damsté edunt: 'Quin igitur', ⟨inquit⟩ ulc. . .?' si quidem et Livius duodecim fere locis et Tacitus certe quattuor locis ex oratione obliqua in orationem rectam transeunt omisso 'inquit' ad impetum augendum (V. Draeger, Synt. u. Stil d. Tac.[2] 2 pag. 114, § 256).

V 12, 9.

In A traditur: „Tum vero custodiae eius adsueti, quos regis salutem vel periculis vitae tueri oportebat, dilapsi sunt tum, armatis, quos iam adventare credebant, haud rati se futuros pares."

Pro particula 'tum', quam superiore loco apte, posteriore loco prave poni perspicuum est, Freinsheim et Damsté edunt: 'tot' (i. e. tot armatis), id quod Kinch, pag. 47, subtilius quam verius commendat; Vogel auctore Leepio 'metu' adsciscit ex III 11, 12. Sed cum causa, cur custodes regis dilapsi sint, ex sequente sententia participiali 'armatis . . . haud rati se futuros pares' satis appareat, 'metu' inutile et supervacaneum esse nemo non intellegit. Ne plura, Curtius, id quod vidit Stangl, pro 'tum-tum' scriperat 'tum-tamen' significabatque custodes regis, quamquam salutem eius omni auxilio tueri debebant, nihilo minus ab officio recessisse suaeque saluti ut consulerent, fugae se dedisse.

De 'tum' et 'tam̃' confusis v. Vogel in comm. crit. ad VII 3, 12 et Hedickii appar. crit. ad VI 4, 14; VI 8, 1; VII 5, 42.

Rhetorica vero illa particulae 'tamen' post verbum suum positio non modo Ciceroni et alteri Ciceroni, i. e. Plinio minori, tritissima est, sed ne Curtio quidem insolita; agedum comparemus:

V 3, 8: multis ergo vulneribus depulsi, ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimicandum esset, subibant tamen, quia . . .

IV 6, 31: namque etiam secundis atterebantur tamen copiae.

IV 13, 32: Adeoque aciem versabilem posuit, ut qui ultimi stabant, ne circumirentur, verti tamen et in frontem circumagi possent.

VIII 5, 12: Ille ut, antequam ultimus spiritus deficeret, dimicans tamen exstingueretur.

VI 1, 11.

Extat in codd. A: „Tandem Laconum acies languescere, lubrica arma sudore vix sustinens, pedem deinde referre coepit, ut urgente hoste apertius fugeret". (Vide 'addenda et corrigenda' apud Hedicke et Damstei app. crit).

Editores superiores cum finalem sententiam suo loco esse negarent, scribebant: „et . . . fugere“. Ac Vogel quidem, quamquam etiam ipse hoc loco scripturam librorum emendandam esse putabat, tamen his aliis locis eandem formam sententiae finalis, in qua vis consecutiva inest, recte intellexit:

VIII 3, 3: „quo efficaciores essent preces, haud procul erat Alexander“ (v. Vogel II² pag. 117).

VII 4, 17: „aliorum habes regnum, quo facilius eo careas“. V 1, 39: „ceterum quo minus damnum sentiret, (exercitus) identidem incremento renovabatur“. Dure adiunctam esse Vogel ait sententiam finalem VIIII 6, 17: „numquam mihi vitam meam fuisse tam caram, quam esse coepit, ut vobis diu frui possim“. Librorum optimorum scriptura maxime rhetorica, quam Stangl retinuit, his quoque locis, quos Vogel silentio praeterit, defenditur: X 5, 23: „ipsum Dareum floruisse paulis per, ut crudelius posset extingui“. VIII 2, 9: „ego servatorum meorum latro revertar in patriam, ut ne dexteram quidem nutrici sine memoria calamitatis eius offerre possim“.

Paulo secus dicitur X 6, 14: „est, cur Persas vicerimus, ut stirpi eorum serviamus?“ VII 8, 20: „primus omnium satietate parasti famem, ut, quo plura haberes, acrius, quae non habes, cuperes“. VI 3, 13: „Nos vero peccavimus, milites, si Dareum ob hoc vicimus, ut servo eius traderemus imperium“.

Exempla Liviana invenies apud W. Heraeum (Bursians I. B. 1894 II S. 139). Tacitus H. I 48, 4 scribit: „ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur“.

VI 2, 5/6.

Est in codd. A: „Quippe captivae iubebantur suo ritu canere inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen. Inter quas unam rex ipse conspexit maestiorem quam ceteras“. Intellegi non potest, cur subiectum tam graviter exprimatur; eligas enim aut 'ipse' aut 'rex'. Sic cum sentirent, Mützell: 'unam [rex] ipse conspexit' edidit, Vogel: 'unam rex forte conspexit', verisimilius utroque Stangl: 'unam mox ipse' conspexit'. Adverbium 'mox' quam non raro cum praeteritis temporibus coniungatur, cognoscas ex addit. meis pag. 44 sq.

Quam facile denique 'unam mox ipse', 'm' littera semel non bis scripta, depravatum sit in 'unam rex ipse', ex eo ipso apparet, quod Hedicke in una pagina tres voces affert, in quibus litterae 'e' et 'o' a librariis confusae sunt: pag. 141 vers. 17, 22, 33.

VI 3, 9.

Legimus in A: „Bactra non possidet solum parricida Bessus, sed etiam minatur“.

Vogel '⟨inde⟩ minatur' edit nequaquam necessario. Nam Curtius adverbium loci persaepe omittit, ut ipse Vogel (I³ praef. § 166) monet. VIII 10, 13: multa hedera vitisque toto gignitur monte, multae perennes aquae manant (sc. inde).

(Alia exempla pleraque invenies in addit. meis pag. 16 f.)

VI 3, 17.

In codd. A scriptum est: „Egregium, mehercule, opus et inter prima gloriae vestrae numerandum posteritati famaeque tradetis, Dareum quoque hostem finito post mortem illius odio parricidas esse vos ultos".

Primus vidit Junius duplicem illum accusativum verbo ulciscendi addi non posse, sed postulari aut: „Dareum quoque hostem ... a (sive de) parricidis esse v. u." aut, id quod ille maluit: „Darei quoque hostis ... parricidas esse v. u." Quae emendatio quamquam grammaticae satisfacit nullique postea editori probata non est, tamen videtur mihi tam violenta, ut a Stangelio 'parricidas' ut vocabulum interpolatum rectius secludi censeam. Nimirum hoc glossema natum est sequente accusativo 'neminem impium', id quod eo facilius fieri poterat, quia de sententia huius loci identidem exponitur et vox parricidae apud Curtium vicies bis exstat. Valet autem 'ulciscor aliquem' idem quod 'poenas expeto ab aliquo' uno loco: III 13, 17: ultus inimicum erat; his quinque locis significat idem quod 'poenas capio pro aliquo': V 7, 4: Quin igitur ulciscimur Graeciam? VI 11, 26: Quis proavum huius Archelaum, quis deinde Alexandrum, quis Perdiccan occisos ultus est? VII 5, 25: Adiecit non Dareo iniquos fuisse (sc. deos), quem sic ulciscerentur. VII 5, 37: 'Et te', inquit, 'et Dareum, reges meos ultus, interfectorem domini sui adduxi'. X 5, 30: iam pietas erga parentes, quorum ... Philippum ultus erat.

VI 9, 11.

In A scriptum legimus: „Ipse, apud multos copiarum duces meis praepotens viribus, maiora quam capit spirat". Vogel hunc locum in dubium vocat. Adnotat enim: „Ipse ... praepotens. Diese in sprachlicher Beziehung höchst bedenklichen und wahrscheinlich verderbten Worte können kaum etwas anderes bedeuten als: er selbst (Philotas), der bei vielen Führern meiner Truppen noch einflußreicher ist als ich selbst (viribus meis Umschreib. für me). Doch ist 'praepotens viribus meis' eine durchaus ungewöhnliche und kühne Konstruktion, mag man viribus als Dativ fassen und praepotens für praestans, praecurrens, praecedens u. ä. deuten oder als Ablativ der Vergleichung, indem

man sich auf Konstruktionen wie aliud aliqua re beruft." (V. etiam I³ praef. § 80 et app. crit. ad II²). Quae interpretatio neque Hartungio neque Stangelio placuit. Quamobrem ille proposuit 'nimis praepotens viribus', quo adverbio Curtius nusquam utitur; hic scripsit: 'nimiis praepotens viribus', quod adiectivum octo locis probari potest. Sed quamquam pleonasmus a sermone Curtiano nequaquam abhorret (v. addit pag. 45 sq.), tamen Stangeli coniecturam supervacaneam atque inutilem esse credo. Nam verba in codd. tradita genuina esse censeo et sic interpretor:

„Er selbst, der bei vielen Truppenführern durch meine eignen Streitkräfte allmächtig ist". Quibus verbis Alexander dicere vult Philotan tantis copiis, quas ipse ei dedisset, permultum apud ceteros duces valere. Suas vires Alexander optimo iure appellat omnes copias sive Philotas sive alius eis praecerat, comp. VII 3, 4, ubi legimus: „Ibi exercitus, qui sub Parmenione fuerat, occurrit. Sex milia Macedonum erant et CC nobiles et quinque milia Graecorum cum equitibus DC, haud dubie robur omnium virium regis".

Perspicuum est Philotae culpam augeri et crescere, si Alexandri copiis, i. e. eis, quas Alexander fidei illius permiserat, confisus, scelesta consilia in regem inibat. Itaque consulto rex illum ablativum causae 'meis viribus' attributo 'praepotens' addit. Hoc adiectivum non comperativi sed superlativi vim habet haud secus ac 'praegravis', quod adiectivum aeque ablativo causae coniunctum cernimus: III 3, 27: nec turba nec sarcinis praegrave; VIIII 10, 26: currus .. ingentibus poculis praegravis.

VII 5, 28:

Tradunt codd. A: „Perventum erat in parvulum oppidum". Praepositio 'in' tolerari non potest, quoniam in oppidum Alexandrum pervenisse infra demum legimus in § 37: „cumque ad urbem ventum esset, ipse cum expedita manu portam intrat". Sic cum sentiret Stangl non 'Perventum erat in' ... edidit, sed 'P. erat ad ...' Nec ullus est similis locus, ubi Curtius alia praepositione nisi 'ad' utatur: congessi omnia exempla in addit. pag. 46.

Sed ex coniectura Stangeli non intellego, quomodo praepositio 'in' pro 'ad' in codices illata sit. Itaque conicio Curtium scripsisse: „Perventum erat in⟨de ad⟩ parvulum oppidum". Adverbium temporale, quamquam verbo primo loco circuitus posito saepe abesse solet, hîc ad transitionem aptissimum videtur, velut:

VIIII 4, 26: „Perventum deinde est ad oppidum Sudracarum".

Ne illud quidem silentio praetermittemus adverbum 'inde' in codd. nostris bis eodem modo mutilatum esse: V 5, 8: „et castra

in⟨de⟩ duo ab urbe stadia communit", VIII 9, 5 „in⟨de⟩ eum obiectae rupes inclinant ad orientem".

VII 6, 7.

In codd. A est: „Ceterum se gentem in fidem dedere superatos vulnere illius".

'Vulnere' sive neglegentia librariorum sive consulto ex verbis antecedentis paragraphi, quae sunt 'cognito vulnere ipsius', perverse huc illatum esse princeps perspexit Vindelinus agnoveruntque posteriores. Sed 'virtute', quod illi Curtium scripsisse credunt, parum nervorum habet, quandoquidem barbari paulo ante dixisse feruntur: „cum dis enim pugnare sacrilegos tantum". Itaque Stangl genuinam scripturam reduxisse videtur, qui proponit 'numine'. Nec enim vulgari aut humanum modulum non excedente virtute, qua ipsi eminent, barbari, credo, superatos se esse confitentur, sed virtute, summam mortalium virtutem mirum quantum antecedente i. e. divina, seu 'numine' seu alio vocabulo significabis. Hac superstitione simplices illos ac rudes homines captos esse, alibi quoque significat Curtius velut VIIII 1, 18: invictum exercitum et deorum profecto adadvenisse memorantes. VIIII 8, 5: deorum exercitum et alium Liberum Patrem ... adventare credebant. VIIII 8, 7: cum dis proelium inituros.

Vocabulum vero, quod est 'numen' probatur his locis: IV 3, 22: ... araeque Herculis, cuius numini urbem dicaverant. VIII 5, 8: Herculem et Patrem Liberum et cum Polluce Castorem novo numini (sc. Alexandro) cessuros esse iactabant. VIII 10, 32: tantas moles, nulla ope, quae cerneretur, adiutas, deorum numine agi credebant: pila quoque muralia et excussas tormentis praegraves hastas negabant convenire mortalibus.

VII 6, 27.

In A legimus: „quorum posteri nunc quoque non apud eos tam longa aetate propter memoriam Alexandri exoleverunt."

Ponunt et ceteri et Stangl negationem 'non' ante verbum 'exoleverunt' (secundum IV 15, 17; X 10, 12) quasi a verbo suo seiungi eam non liceat. Sed credo Curtium 'nunc quoque non' id quod dicitur pro 'ne nunc quidem' separare noluisse: inest enim huic ordini verborum vis quaedam atque gravitas. Tacitus quidem 'quoque non' coniungere solet: ann. 3, 54: „credite ... me quoque non esse offensionum avidum". Ad hunc locum Nipperdey haec affert exempla, in quibus negationem 'non' particula 'quoque' coniunctam videmus: 14, 21: maiores quoque non abhorruisse

spectaculorum oblectamentis. III 63: id quoque non sine decore. G. 26: unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. (Aliter: 15, 58; 15, 66; 6, 30; 11, 13). (Vide etiam Draeger, Synt. u. St. des Tac.[2] pag. 46, § 122).

Quid quod aliis quoque locis Curtius negationem ab eo, ad quod pertinet verbo, seiungit velut VII 6, 24: haud oppidanis consilium defectionis adprobantibus. VIIII 2, 6: vix diurno quaestu propulsantem famem.

VII 9, 12/13.

Traditur in codd. A: „Itaque ipsi (scil. Macedones) quidem ducum fungebantur officio aliusque alium adhortati in hostem salutis immemores ruere coeperunt. Tum vero non ora, non arma, non clamorem hostem barbari tolerare potuerunt".

'Clamorem hostem' et ceteri editores et Stangl mutant in 'cl. hostium', posteriorem ac diversam eiusdem substantivi formam superiori falso a librariis assimilatam esse rati. Sed primum genetivus 'hostium' plane inutilis atque supervacaneus est; deinde illi coniecturae si subscribes, satis mire, ne dicam inepte, finges superiore loco barbaros a Curtio appellari hostes, posteriore loco Macedones.

Sine dubio 'hostem' post 'clamorem' falso ex superiore versu repetitum et delendum est.

VIII 5, 8.

In A est: „Agis quidam Argivus, piissimorum carminum post Choerilum conditor, et ex Sicilia Cleo — hic quidem non ingenii solum sed etiam nationis vitio adulator — et cetera urbium suarum purgamenta propinquis etiam maximorumque exercituum ducibus a rege praeferebantur".

Lauer, quem sequuntur et ceteri editores et Stangl, scribit, 'pessimorum carminum'. Qua de causa, non intellego. Nam mala vel pessima carmina sunt carmina aut inepta aut probrosa (Hor. sat II 1, 82). Sed probrosa carmina Choerilus, poëta aulicus, non fecit. At inepta carmina dicas. Immo ineptissima; sed nego Curtium hoc quidem loco iudicare voluisse de elegantia carminum aut Choerili aut Agidis. Nam eo tempore, cum Agis Macedones cohortatus est, ut regem suum deum esse crederent, nihil retulit, utrum carmina eius essent artificiosa an non essent, sed maxime retulit, qualem poëta ille se praebuisset adversus Alexandrum. Itaque in libris credo recte traditum esse 'piissimorum carminum'. Vocabulis, quae sunt 'pius', 'pie', 'pietas', 'impius', apud Curtium plerumque voluntas et animus civium

in regem significatur, ut apparet ex his locis: VIII 5, 11: Persas quidem non pie solum sed etiam prudenter reges suos inter deos colere. X 3, 8: Sed ad illa hoc quoque accessit, quod video fortes viros et erga reges suos pietatis invictae. X 5, 11: Tum Macedones divinos honores negasse ei paenitebat impiosque et ingratos fuisse se confitebantur, quod aures eius debita appellatione fraudassent. V 12, 13: ne impie deserere regem viderentur. III 11, 8; VI 8, 4; VI 8, 10; VII 1, 29; VIIII 6, 16; V 9, 9; V 10, 3; VI 3, 17; VI 7, 24; VI 9, 4; VI 10, 25; VIII 8, 4; VIIII 3, 5. Ne superlativus quidem abest: VIIII 6, 17: 'Vobis quidem', inquit, 'ô fidissimi piissimique civium atque amicorum, grates ago habeoque'.

An miraris hunc scriptorem vocabulo illo in codd. tradito uti, cum nos postulemus epitheton vituperans ut 'adulatorius' 'servilis' similiaque. At minime mirum est, quoniam idem scriptor suum principem, quem Alexandro omnibus numeris nimium quantum cessisse nemo ignorat, his verbis adulatur: 'Huius, hercule, non solis ortus lucem caliganti reddidit mundo'. Neque tamen quisquam iudicabit Curtium se ipsum adulatorem existimavisse.

VIII, 8, 19.

Legimus in A: „Nam tuum Callisthenem, cui uni vir videris, quia latro es, scio cur produci velis".

Vogel particulae 'nam' substituit 'iam'. Damsté suo more in verba magistri iurat. Stangl auctoritatem codd. tuetur et recte quidem. Nam ut in codd. esset 'iam', 'nam' esset emendandum. Atqui Vogel assentiente Batavo illo viro a se impetravit, ut aliis quoque locis duobus eandem particulam 'nam' detorqueret in 'iam'; dico:

IV 9, 2: Bactriani Scythaeque et Indi convenerant; nam et ceterarum gentium copiae partibus simul adfuerunt. X 5, 34: „Nam iracundiam et cupidinem vini sicuti iuventa irrataverat, ita senectus mitigare potuisset".

At coniunctione 'nam' ultima ordine ac novissima causa refutationis inducitur, et quidem ut levis atque contemnenda. Quamobrem ante particulam sententia supplenda est: Quae nunc dicam, vix digna videntur, quae commemorem, quoniam qualia sint, ipsa per se intelleguntur; habetque ea particula manifeste vim occupationis. Ergo quae VIII 8, 19 exponuntur, sic necesse est interpretemur: Quod tu postulas, ut Callisthenes introducatur, de hac re non loquar; nam cur id postules, perspicuum est.

Similiter explicanda sunt, quae Curtius tradit IV 9, 2: Bactriani, Scythi et Indi convenerant: de aliis, quae propiores erant, gentibus commemorare opus non est, quoniam ab his copias missas esse quilibet per se suspicabitur. Quae argumentatio perbene probatur hoc loco (III 2, 9): „Nam Bactrianos et Sogdianos et Indos ceterosque rubri maris accolas, ignota etiam ipsi gentium nomina, festinatio prohibebat acciri.

Nec aliter intellegemus, quae Curtius refert X 5, 34: Scriptor postquam vitia Alexandri, quae fortunae tribuenda sunt, enumeravit, sic c o n c l u d i t: De iracundia eius et cupiditate vini fusius exponere nolo; nam haec vitia sunt inventutis et ob eam causam reprehensione minus digna:

Non mutata est a Vogelio particula 'nam' IV 14, 18: „Nam Alexander, quantuscumque ignavis et timidis videri potest, unum animal est . . .“ VIII 2, 17: „N a m flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat“. Quibus locis particula 'nam' eandem vim occupandi habet.

Paulo secus dicitur IV 14, 22: „restituite mihi pignora, pro quibus ipsi mori non recusatis, parentem, liberos: n a m coniugem in ills carcere amisi“.

Ceterum de illa occupationis figura, quae particula 'nam' continetur, nemo latius doctiusque disseruit quam Mauritius Seyffert in Schol. Lat. I pp. 90, 148 et II pp. 74, 129.

VIII 10, 3/4.

Est in codd. A: „Illi, quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naves, ut solutae plaustris vehi possent rursusque coniun*gi*. P o s t s e (i. e. coniungi p'se) Cratero cum phalange iusso sequi, equitatum ac levem armaturam eduxit“.

Hanc lectionem editores ut receperunt, ita non explicaverunt. Ego quaero, utrum id, quod est 'post', praepositionem malis intellegi an adverbium. Si praepositionem, nomina mihi scriptorem Latinum, qui scribit 'post se sequi' pro 'se sequi' (V 1, 44; VIII 11, 11; VIII 12, 2); plerumque autem Curtius verbum sequendi a b s o l u t e posuit. Si adverbium esse mavis 'post', id ab oratione Curti alienissimum esse contendo, quoniam is, id quod Germanice dicitur 'dann, hernach, hierauf', nullis vocabulis exprimit nisi his: 'deinde, inde, dein, postea, post haec, mox, tum'. Quid quod nemo desiderat hic adverbium temporale; at significationem nominis subiecti, quod eis, qui antea nominantur ducibus — nam 'illi' sunt Hephaestio et Perdiccas — opponatur, quis non poscit vel potius flagitat? Itaque Stangl recte non edidit: '. . . coniungi . p'se Cratero cum

plalange iusso sequi . . . eduxit' sed: '. . . coniungi . Ipse Cratero . .' Quae coniectura egregie probatur multis aliis locis, ex quibus hîc afferam exempli causa V 4, 20/21: „Hic Philotan et Cœnon cum Amynta et Polyperconte . . . relinquit . . . Ipse cum armigeris et ala . . .“ (Cetera exempla reieci in addit. pag. 46 sq).

VIII 4, 31.

Legimus in codd. A: „Itaque rex haerebat magis quam stabat in margine, clipeo undique incidentia tela propulsans; nam ubique (V: ubi) eminus ex turribus petebatur“. Quis, quaeso, qui tam emendate scriberet Latine quam Curtius, 'ubique petor' unquam ausus est dicere pro 'undique petor'? quae particulae vis una huic loco convenit. Comparemus, si placet, VI 1, 4: undique nunc comminus, nunc eminus petebatur. VIII 14, 31: multisque eminus vulneratis, expositus ipse ad ictus, undique petebatur. VIII 14, 38: ergo undique et in pedites et in ipsum Porum tela congesta sunt. VIII 14, 40: ergo telis undique obruitur.

Itaque fortasse 'ubique' mutandum est in 'undique', cui suspicioni minime obstat, quod 'undique' paulo ante legimus. Nam mirum est, quam saepe Curtius idem vocabulum easdemque formulas pusillo intervallo interposito repetat.

Stangl in 'ubi' vel 'ubique' latere censet 'un' id est 'unus'. Videtur is Curtianos locos memoria tenuisse quales sunt: IV 4, 11: unus praecipue telis petebatur. VII 7, 36: sed cum unum omnes peterent. VIII 11, 16: sed cum tot unum incesserent manus. VIIII 5, 5: nam cum unum procul tot manus peterent.

Ne haec quidem coniectura refutari possit, ut librarius 'undique' quod superiore loco recte traditur, posteriore prave et iteraverit et mutaverit. (Similiter in C '[undique] orsi' falsa iteratione ex sequente aut praecedente sententia illatum esse videtur, ubi in P est '[undi] orsi'. Illud 'undique' vel 'undi' iam Acidalius delevit.).

Sed si quis coniciat 'ubi' depravatum esse ex 'ibi', equidem non assentior. Nam 'ibi' hoc loco prope supervacuum esse censeo.

Quid plura? Sive 'unus' sive 'undique' malemus, sive vero *διττογραφίαν* quandam intercessisse statuemus, 'ubique' esse ferendum praefracte negabimus.

XIII 7, 7.

In A est: „Praeter spem suam Biton praesenti periculo ereptus paulo post insidiatus auctoribus salutis suae“. Hedickium editores secuti edunt 'insidiatus ⟨est⟩'. Ego cum Prohazel, quem Stangl sequitur, emendandum esse credo: 'insidatur'. Scilicet extrema vocabuli 'insidiatur' littera a librariis incuriose

assimilata est antecedenti part. perf. pass. 'ereptus'. Similiter IV 1, 30 codd. habent 'potitur' pro 'potitus', V 5, 24 'miseretur' pro 'misertus' (sic Iunius, quem sequuntur editores; sed nonne 'miseritus' praeferendum est?), X 10, 20 'habetur' pro 'habitus'.

Deinde Curtius 'paulo post' et similes locutiones plerumque cum praesenti tempore coniungit, licet perfectum tempus praecedat, velut X 5, 6: suprema haec vox fuit regis et paulo post exstinguitur. VIII 5, 21: Igitur ad Agin et Cleonem misit, ut . . . et paulo post . . . convivium repetit. VIII 8, 1: Indorum legati dimissi domos paucis post diebus cum donis revertuntur. V 1, 10: Paulo post Alexandro Arbela traduntur. VIII 7, 24: et post paucos dies inter epulas aureum poculum ex composito subducitur. X 1, 10: Haud multo post Nearchus et Onesicritus . . . superveniunt. IV 3, 13: Postera die classe ad moenia admota undique tormentis et maxime arietum pulsu muros quatit.

X 3, 5.

In A legimus: „Nam cum postero die prohibiti aditu venissent, Asiaticis modo militibus admissis, lugubrem totis castris edidere clamorem, denuntiantes protinus esse morituros, si rex perseveraret irasci".

Editores suadente Fossio scribunt 'regis essent' pro 'venissent'. Sed primum haec lectio longius abest a scriptura librorum. Deinde genetivus obiect. 'regis' supervacaneus est, quod ex contextu ipso verborum coniceretur, etiam si in ea, quae sequitur sententia, quae est 'si rex perseveraret irasci', nomen regis non plane appellaretur. Usus autem substantivi, quod est 'aditus' et verborum adeundi et admittendi illustratur his locis:

VI 7, 17: Ipse Cebalinus ante vestibulum regiae — neque propius aditus ei patebat — consistit. VIII 8, 23: „(Ptolemaeus) aditu facili, nihil ex fastu regiae adsumpserat.

VIII 3, 18: claudique regiam iussit omnibus praeter adsuetos adire prohibitis. X 6, 2: multi duces, frequentia militum exclusi, regiam intrare non poterant, cum praeco exceptis, qui nominatim citarentur, adire prohiberet.

III 5, 11: admissisque amicis pariter ac medicis. VIII 3, 11: ille (sc. Alexander) protinus barbaram iussit admitti.

Stangl scribit 'abissent' pro 'venissent'. Abeundi verbum absolute a Curtio certe octies decies poni cernes ex addit. pag. 47. Itaque illi assentior, praesertim cum litteras 'b' et 'u' ('v') in his codicibus admodum crebro permutari constet. Afferam VII 7, 12 dubita*b*it: P. dubita*u*it: C; V 10, 3 na*b*azanes: L P, na*u*azanes V.

V 8, 17: nobilita*b*it plerique codd., nobilita*u*it: PV. V 6, 9 dubita*u*imus: A, dubita*b*imus: Acidalius. V 6, 15 ni*v*ibus: plerique codd., nubibus: P. V.

X 4, 1.

Est in codd. A: „Milites tui, cives tui incognita causa *a* captivis suis ducentibus trahuntur ad poenam".

Bene editores praepositionem '*a*' ferri posse negant, male eidem litteram illam ex antecedentis vocabuli 'caus*a*' proxima littera adscitam esse contendunt. Quis enim non videt licentiam ac libidinem Alexandri eo maiorem esse, quod milites non modo causa indicta, sed etiam a suis captivis ducti ad poenam trahebantur? Atque ipsum scriptorem sic sensisse dilucide apparet ex ea, quae sequitur, sententia: „Si mortem meruisse iudicas, saltem ministros supplicii muta". Quodsi in ablativo abs. 'captivis suis ducentibus' gradationis vis inest, particulam, qua illud significetur, desideramus. Itaque bene Stangl scribit: 'incognita causa et captivis suis ducentibus'.

Eandem vim particula 'et' vel 'que' his habet locis:

III 3, 4: in Persico et vulgari habitu. VI 2, 3: in peregrina et devictarum gentium mala impulerat ('et' = und noch dazu, ut Vogel recte interpretatur).

VI 10, 20: Cebalinus ipse tolli de medio nullo que negotio potuit ('que' 'und zwar': Vogel). (Kinch hanc particulam 'que' assentante Damsté iniqua Minerva delet.)

X 1, 27: His auditis spado potentiam flagitio et dedecore quaesitam in caput nobilissimi et insontis exercuit (et = 'und ausserdem': Vogel).

X 3, 8 Vogel particulam 'et' recte supplevit: „Quod video fortes viros ⟨et⟩ erga reges suos pietatis invictae".

Redeo ad eum, unde digressus sum, locum moneoque particulam 'et' littera *a* (fortasse Langobardorum more aperte scriptam) aliis quoque locis confundi, velut V 4, 20, ubi in P est a. pr. m.: 'qui et' pro 'qui a'. VIIII 7, 16: „iam *a* rege pernotus et gratus", ubi cum Stangl haud dubie corrigendum est non 'etiam' sed 'iam et' regi pernotus et gratus".

Scilicet 'et regi' hic idem valet, quod 'etiam regi'. Nam Curtium nunquam ante verba, persaepe ante nomina 'et' pro 'etiam', inprimis particula quadam praeeunte posuisse, demonstratur eis exemplis, quae Novák (spicil. Curt. pag. 13 ad V 11, 6) collegit, ex quibus repeto VIIII 5, 18: „iam et Peucestes vulneribus fatigatus". Item 'iam et' non durius illud absonumque 'iam etiam'

scribere solent Livius et Tacitus, id quod monet Draeger, Synt. u. Stil des Tac. [2] pag. 43 § 108.

X 5, 32/33.

Legimus in A: "ingentes profecto dotes erant. Illa fortunae: dis aequare se et caelestes honores accersere. . . ."

Optimo iure Meiser superioribus verbis, manca ea esse ac mutila ratus, ex § 26 inseruit genetivum 'naturae'. Sed in ordine verborum erravit. Neque enim ponendum est: 'dotes ⟨naturae⟩ erant, sed cum Stangl: 'dotes erant ⟨naturae⟩'. Ac primum ex hoc ordine verborum facilius explicari potest, cur librarius 'naturae' omiserit. Nam cum in legendo 'ingentes profecto dotes erant naturae illa fortunae', ambo genetivi quo pertinerent, interpretari non posset, alterum praetermisit. Deinde hoc modo ea vocabula, in quibus maxima vis posita est, maiore gravitate sibi opponuntur. Nam hoc quidem per se intellegitur plus ponderis esse in ultimo quam in paenultimo clausulae vocabulo.

A. Agedum comparemus hos locos, quibus sententia aut primaria aut secundaria aut quae participialiter profertur, clauditur nunc voce 'fortunae' nunc 'naturae': III 2, 1: ratus pluribus curam, omnibus afuisse fortunam. III 2, 18: homines, cum se permisere fortunae, etiam naturam dediscere. III 13, 12: sed tum sortem earum crudelius adgravante fortuna. IV 1, 40: unum certamen, ex quo cetera pendebant, intuente fortuna. IV 5, 2: nunquam diu eodem vestigio stare fortunam. IV 5, 3: nihil difficilius esse, quam in illa aetate tantam capere fortunam. IV 6, 29: iam tum peregrinos ritus nova subeunte fortuna. IV 14, 21: iactamur invicem varietate fortunae. IV 15, 11: praecoqui gaudio verita inritare fortunam. IV 15, 18: pugnaeque vertere fortunam. V 1, 8: sic maiores suos perculsos in principio rerum celeriter pristinam reparasse fortunam. V 2, 10: opes victi ad victorem transferente fortuna. V 12, 20: nova ludibria subinde excogitante fortuna. VI 1, 9: velut de industria inter fortissimos viros certamen aequante fortuna. VI 4, 12: in communi calamitate suam quemque habere fortunam. VI 6, 6: unum animum duorum non capere fortunam. VI 6, 26: inritus labor videbatur obstante natura. VIII 13, 22: incommoda quoque ad bonos eventus vertente fortuna. X 1, 40: scilicet res secundae valent commutare naturam. X 2, 22: facilius est vobis adversam quam secundam regere fortunam. X 5, 35: fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunae. X 9, 17: exspectare potius quam movere fortunam.

B. Non ultimum locum sententiae tenet, sed paenultimum VIII 14, 41: rerum mearum cognita fama belli fortunam experiri.

C. Delectationis causa variatur his quoque locis: III 2, 17: nisi etiam naturam plerumque fortuna corrumperet. III 2, 18: homines cum se permisere fortunae, etiam naturam dediscere. IV 16, 27: ceterum hanc victoriam maiore ex parte virtuti quam fortunae suae debuit. VII 1, 19: 'Qualiscumque', inquit, 'exitus nos manet, rex, confitemur prosperum tibi debituros, tristiorem fortunae imputaturos'. VIII 10, 18: Quis neget eximiam quoque gloriam saepius fortunae quam virtutis esse beneficium?

Inprimis nominativi removeri solent a clausula: Sic cum superiore illa norma consentiunt: IV 5, 12: quocumque pendentes animos tulisset fortuna. IV 6, 6: quod homini facillimum voluerit esse natura. VIII 3, 13: quod rebus humanis terminum voluit esse natura. Dissentiunt: III 8, 29: Ceterum destinata salubriter omni ratione potentior fortuna discussit. V 13, 22: adeo omnem sensum territis fortuna penitus excusserat. VI 10, 33: quem si fortuna exspectare voluisset, natura poscebat. VIII 3, 6: pateretur sortem, quamcumque iis fortuna fecisset. VIII 6, 12: nisi te interceptum misericors in nos fortuna servasset. VIII 6, 22: quas natura longe submoverat.

Specie huc pertinent: IV 11, 21: quod proximae lucis adsignatura fortuna est (pronuntiabant autem veteres fortunast); VIII 5, 17: Prius ab oculis mortalium amolita natura est (i. e. naturast). [VI 5, 29: quos eximia specie donare natura dignata est (i. e. dignatast)].

Sed de his similibusque rebus is demum certius iudicabit, qui quaesiverit, num Curtius numerosae orationis studiosus fuerit, et si fuit, quales clausulae numeros modosque esse voluerit. In qua quaestione maxima primus omnium, quoad ego sciam, versari coepit Novák (spicilegium pag. 5 sq.). Ex superioribus criticis multi multa in clausulis verba in omnibus codicibus tradita mutaverunt (velut: 'inciderant' pro 'inciderunt': IV 15, 17; 'adhaeserant' pro 'adhaeserunt': X 5, 37; 'occupaverant' pro 'occupaverunt': VI 6, 25, de quibus formis in pag. 20 et 21 huius dissertationis dixi), de numeris modisque inquirere omnino obliti sunt.

X 6, 11.

Tradunt codd. A: „Ceterum exspectari nondum ortum regem et, qui iam sit, praeteriri nec animis Macedonum convenire nec tempori rerum: esse e Barsine filium regis: huic diadema dandum."

Complures iam homines docti, quibus locutio 'tempori rerum' inepta videretur, artem criticam in his verbis exercuerunt. Ieep et Hedicke Curtium scripsisse censent 'tenori rerum'. Sed recte Novák (spic. Curt. pag. 31) admonet Curtium et prorsus abstinere substantivo, quod est 'tenor' et bis opponere substantivum 'animus' substantivo 'tempus'. Vide VI, 10, 2: „quomodo et animo meo et tempori paream." VII 1, 22: „ut malles ea tempori nostro imputare quam animo". Idem Novák recte damnat Vogeli coniecturam 'nec tempori. Verum esse . . .' Nam praeterquam quod dubium est, utrum 'verum' coniunctio sit an adiectivum, primum concinnitatem violari ait, deinde vim oratoriam minui ego existimo, quae similiter est in verbo in principio sententiae posito ac X 1, 14: esse haud procul a continenti insulam. IV 2, 4: esse templum Herculis extra urbem; VIII 3, 10: nuntiari . . . iubet, esse, quae ex ipsa deberet agnoscere.

Hactenus ducem sequor Novák; non sequor eundem, quod non 'tempus' sed 'tempus rerum' idem fere valere vult atque 'statum rerum', unumque illud constare video nec mutari licere 'tempori' nec verbum 'esse' a primo loco in posteriorem reici nec ex 'rerum', qui genetivus vitiosus et inutilis est, aliud quicquam elici nisi alium genetivum substantivi alicuius, quod apte opponatur genetivo 'Macedonum'. Comparemus VII 7, 10: 'discrimen', inquit, 'me occupavit meliore hostium quam meo tempore'. VI 10, 2: quomodo et animo meo et tempori paream. VII 1, 22: ut malles ea tempori nostro imputare quam animo. III 5, 13: Lenta remedia et segnes medicos non exspectant tempora mea.

Quid plura? probo sine ulla dubitatione, id quod Stangl scripsit: 'nec animis Macedonum convenire nec tempori regum'. 'Regum' = 'Mitglieder der königlichen Familie' (i. e. *βασιλέων* Soph. Antig. 1172).

Heraeus ad Tac. hist. II 25: „'rex' = 'Prinz', wie V 9 rex Parthorum Pacorus". Cic. acc. in Verrem IV 61: reges Syriae, regis Antiochi filios pueros. Cic. Cat. m. 59: Cyrum minorem, Persarum regem. Comp. etiam Curt. III 12, 21: 'virgines reginae' 'die jungen Prinzessinnen'. IV 11, 3: „pudicitiae earum, quae supersunt, curam haud secus quam parens agens reginas appellas". Hae 'reginae' sunt autem mater et virgines filiae Darei.

Ad extremum commemorabo pluralis genetivum illum 'rerum', qui in his historiis milies occurrit, genetivo longe rariori, qui est 'regum', substitutum esse in cod. P. VII 2, 22.

ADDITAMENTA

ad

QUAESTIONES CURTIANAS

criticas et grammaticas.

Ad III 6, 10 pag. 6.

His locis Curtius pronomen possessivum in clausula circuitus sive sententiae ponit:

III 4, 11: Non alias magis dicitur admiratus esse felicitatem suam. III 5, 13: Lenta remidia et segnes medicos non expectant tempora mea. III 6, 12: Si di tibi permisissent animum experiri meum. IV 1, 13: magnam partem Asiae in dicionem redegi meam. IV 1, 25: Hae manus suffecere desiderio meo. IV 5, 18: captivos remiges adiecere classi suae. IV 10, 26: Saepe calamitatis solacium est nosse sortem suam. IV 10, 29: ut hanc vicem redderes saevitiae meae. IV 11, 20: Eadem liberalitate dat mihi filiam suam. IV 13, 21: Ubi est vigor ille animi tui? V 2, 21: Cave, obsecro, in contumeliam acceperis ignorationem meam. V 8, 8: Ex tot milibus, quae sub imperio fuerunt meo. V 10, 8: paenitentiam secessionis simulare decreverunt et excusare apud regem consternationem suam. VI 10, 12: Quod novum facinus delatum ad te mutavit animum tuum? VI 10, 34: Num creditum est patri meo? VII 2, 2: modo ne fratrum innocentiae fuga imputetur mea. VII 2, 10: Tu, Amynta, ignosce fratri tuo. VII 2, 15: Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui? VII 7, 18: Sed an permissuri sint mihi Macedones animo uti meo, dubito. VII 7, 24: Quem certum mehercule habeo extorum interprete uti metu suo. VII 7, 28: Rex iussit eum confidere felicitati suae. VII 11, 12: Certum autem habeo vos non tam liberalitatem intueri meam quam voluntatem. VIII 1, 25: Quae patrem nunquam aequo animo esse confessum, invitum filio debentem salutem suam. VIII 8, 4: Haec est saevitia in ipsum mea. Ibid: Nam in ceteros, qui mihi permittunt, uti ingenio meo, quam mitis sim non ignoratis. VIIII 6, 1: cum audivisset

convaluisse apud barbaros famam mortis suae, duobus navigiis . . VIIII 6, 9: Eo pervenimus auspicium atque imperium secuti t u u m, unde nisi te reduce nulli ad penates suos iter est. VIIII 7, 7: Praeter spem suam Biton praesenti periculo ereptus paulo post insidiatur auctoribus salutis suae. X 1, 7: Rex cognita causa pronuntiavit ab accusatoribus unum et id maximum crimen esse praeteritum, desperationem salutis suae. X 2, 22: Insanire cœpistis, obliti status eius, quem beneficio exuistis meo.

Ad III 7, 6 pag. 7.

His locis subiectum 'rex', sive Alexander sive Dareus, deest, quamquam sententiae praecedentes aliis subiectis reguntur:

III 8, 15: Quos omnis . . . circumduci, ut copias suas noscerent, satisque omnibus spectatis nuntiare, quae vidissent, regi suo iussit (sc. Dareus). III 8, 19: Itaque eo ipso loco metari suos castra iusserat (sc. Alexander). III 8, 24: Tunc consistere agmen iubet (sc. Alexander). III 9, 3: In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes (sc. Dareus). III 12, 15: Iamque iustis defunctorum corporibus solutis praemittit ad captivas (sc. Alexander). IV 1, 6: Quo in fidem accepto castra movit ad urbem Marathon (sc. Alexander). IV 2, 4/5: ibi regem deo sacrum rite facturum. Non tenuit iram (sc. rex). IV 3, 16: Media nox erat, cum classem, sicuti dictum est, paratam circumire muros iubet (sc. rex). IV 6 11: Digna res visa, de qua vates consuleret (sc. rex). IV 7, 2: Igitur ingens multitudo Pelusium, qua intraturus videbatur (sc. rex), convenerat. IV 7, 5: A Memphi eodem flumine vectus ad interiora Aegypti penetrat (sc. Alexander). IV 8, 9: Amissi eius desiderio vehementer afflictus est (sc. Alexander). IV 8, 16: His compositis Herculi Tyrio . . . crateram . . . dicavit (sc. Alexander). IV 9, 3: quis antea praeter iacula nihil dederat (sc. Dareus), scuta gladiique adiciebantur. IV 9, 6: Hoc modo instructo exercitu ac perarmato Babylone copias movit (sc. Dareus). IV 9, 7: Satropaten, equitum praefectum, cum mille delectis praemisit (sc. Dareus). IV 9, 8: Quippe credebat (sc. Dareus) . . . IV 10, 4: cum ad omnia interritus duces . . . adesse praetorio iubet (sc. Alexander). IV 12, 10: Claudebatur hoc agmen aliis falcatis curribus, quis peregrinum militem adiunxerat (sc. rex). V 8, 5: Cum hoc agmine paulum declinavit via militari (sc. Dareus). VII 2, 37: Hanc seorsus cohortem a ceteris tendere ignominiae causa iubet (sc. rex). VII 3, 23: VII milibus Caucasiorum et Macedonum praeterea militibus, quorum opera uti desisset (sc. rex), permissum in novam urbem considere. VII 6, 12: Hos benigne allocutus ad eos Scythas, qui Europam incolunt, Berdam quendam misit (sc. rex). VII 6, 13: Condendae urbi sedem super ripam Tanais elegerat

(sc. rex). VIII 5, 3: Itaque omnibus compositis cogitationes in bellum Indicum vertit. VIII 5, 4: Itaque necubi vinceretur, cum ceteris praestaret, scutis argenteas lamnas . . . addidit (sc. Alexander). VIII 9, 27: Regia adeuntibus patet, cum capillum pectit et ornat (sc. rex). VIII 13, 27: armaque capere litis et ire in ordines iussit (sc. rex). VIIII 1, 7: Abisares, qui priusquam cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum miserat, rursus alios misit pollicentes omnia facturum, quae imperasset (sc. Alexander). VIIII 3, 21: Inter haec Memnon . . . arma XXV milibus . . . pertulerat: quis distributis vetera cremari iussit (sc. rex). VIIII 10, 6: Quinto hinc die venit ad flumen (sc. Alexander).

Accusativum pronominis demonstrativi (is, ea, id) Curtius his locis omittit:

III 1, 6: arcem . . . oppugnare adortus caduceatorem praemisit, qui denuntiaret, ni dederent (sc. eam). . III 8, 27: ut undique urgeret (sc. eum). III 12, 1: consequendi (sc. eum) spes non erat. III 12, 2: quippe summa dumtaxat cutis in femine perstricta non prohibebat (sc. eum) interesse convivio. III 12, 9: Itaque ut quae nec prohibere possent nec admittere (sc. eos) auderent. III 13, 7: nullo prohibere auso (sc. eos). IV 2, 11: Hortari ergo Poeni coeperunt (sc. eos), ut . . . IV 5, 16: Nec fefellit opinio (sc. eos). IV 7, 25: Ille se vero et accipere ait et agnoscere (sc. id [nomen]). IV 8, 3: Cupido haud iniusta quidem, ceterum intempestiva incesserat (sc. eum). IV 8, 10: vivum Samaritae cremaverant (sc. eum). IV 10, 17: Sed Parmenio deterruit (sc. eum). IV 13, 33: sin autem sine fremitu immisissent (sc. eos). IV 14, 21: Videlicet imperium, quia mutuo adfectamus (sc. id), una gens non capit. IV 14, 25: Effugit mortem, quisquis contempserit (sc. eam). IV 16, 1: At in laevo Macedonum cornu — Parmenio, sicut ante dictum, tuebatur (id) — . . . V 1, 12: . . ut a pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat (sc. ea). V 1, 28: quod . . . urbis tecta corriperet, nisi essent specus lacusque, qui exciperent (sc. id). V 1, 34: quippe XX pedes lati parietes sustinent (sc. eam). V 2, 6: Nam cum ante equites in suam quisque gentem discriberentur seorsus a ceteris, exempto nationum discrimine praefectis non utique suarum gentium, sed delectis attribuit (sc. eos). V 2, 18: Ac forte Macedonicas vestes multamque purpuram dono ex Macedonia sibi missam cum his, quae confecerant (sc. eas), tradi Sisigambi iubet. V 2, 19: dono se, quae docerent (sc. eas id), dare. V 3, 20: Ea ipsa multorum simul manibus convulsa, in eos, qui commoverant (sc. ea) recidebant. V 4, 24: Desperatio igitur ingens, adeo ut vix lacrimis abstinerent, incesserat (sc. eos). V 5, 11: Atqui optime miserias ferunt, qui abscondunt (sc. eas). V 6, 9: . . ad quae vehenda — namque ad

usus belli secum portare (sc. ea) decreverant. V 7, 9: Huius vestigium non inveniretur, nisi Araxes amnis ostenderet (sc. id). V 8, 1: Caput Mediae urbs haec: nunc tenent Parthi (sc. eam). V 9, 10: ceterum si perseveraret, vincturi circumstetissent (sc. eum). V 11, 6: Custodiam corporis tui externus et alienigena non deposcerem, si crederem alium posse praestare (sc. eam). VI 4, 7: quorum corpora, ubi rursus erumpit, expulsa videre, qui missi erant, ut exciperent (sc. ea). VI 5, 19: equum vestigari iubet et per interpretem pronuntiari, ni reddidissent (sc. eum) . . . VI 8, 13: cur igitur extraxisset biduum (sc. eos) . . . VI 9, 21: Equitatui, optimae exercitus parti, principibus nobilissimae inventutis, unum (sc. eum) praefeci. VI 9, 26: Ducem equitatus pridie viderant (sc. eum). VI 11, 9: sive ut in custodia quoque torqueret (sc. eum). VII 1, 2: Moverat (sc. eos) et claritas invenis et patris eius senectus atque orbitas. VII 1, 16: Quae si vera essent, idem meruisse eos, quod Philotan, si falsa, exigere ipsum ut refellant (sc. ea). VII 2, 23: Spatiabatur in nemore Parmenio, medius inter duces, quibus erat imperatum litteris regis, ut occiderent (sc. eum). VII 2, 36: Nam cum experiri vellet militum animos, admonuit (sc. eos), qui litteras scripsisset . . . VII 4, 29: Ceterum, si quos ille ventus, qui a mari exoritur, deprehendit, harena obruit (sc. eos). VII 4, 37: Sed ille hastam . . . rursus in os dirigit. Satibarzanes manu complexus (sc. eam) . . . VII 5, 26: Multitudo an vindicatura Bessum fuerit, incertum est, nisi illi, qui vinxerant (sc. eum), iussu Alexandri . . VII 5, 40: adservarent corpus, ut ne aves quidem contingerent (sc. id). VII 7, 6: Bactriani defecerant, Scythae etiam lacessebant (sc. eum). VII 10, 2: per quam amnis — Polytimetum vocant incolae (sc. eum) — fertur. VII 10, 9: reddituros (sc. eam = vitam) quandoque repetisset. VIII 2, 4: Ergo hastam ex corpore iacentis evolsam retorsit in semet: iamque admoverat pectori (sc. eam). VIII 2, 39: Deinde, ne illo quidem adminiculo sustinente (sc. eum). VIII 4, 5: Ac primo quidem armis suis tecti exceperant (eum, sc. imbrem). VIII 5, 17: Prius ab oculis mortalium amolita natura est (sc. eos), quam in caelum fama perveheret (sc. eos). VIII 6, 14: quod sopitum aggressuri essent (sc. eum). VIII 7, 7: pater supremum strinxerat ferrum, percussurus (sc. eum) haud dubie . . . VIII 12, 14: Taxilen appellavere populares (sc. eum). VIII 14, 12: Capitis etiam sanxerant poenam iis, qui ex acie non rettulissent (sc. id = simulacrum). VIII 14, 38: Iam Alexander consecutus erat (sc. eum). VIIII 5, 1: stabantque excepturi (sc. eum). VIIII 5, 9: Sagittam . . . ita excussit, ut per thoracem paulum super latus dextrum infigeret (sc. eam). VIIII 7, 18: postero die rex cum etiam acrius certamen exposcerent,

quia deterrere non poterat (sc. eos), destinata exequi passus est. X 1, 11: singulos eos compererant ab iis, qui ex continenti traicere auderent (sc. eos = equos), singulis talentis emi. X 8, 3: isdem mandatum, ut occiderent (sc. eum), si venire dubitaret.

Ad III 8, 17 pag. 10.

Curtius solet verbo praemittendi uti sine determinatione loci, quo aliquem praemitti dicit: III 7, 6: praemiserat ad explorandum iter saltus. III 8, 24: Dareum triginta inde stadia abesse praemissi indicabant. III 8, 28: Praeter haec viginti milia praemissa cum sagittariorum manu Pinarum amnem . . . transire . . . iusserat. III 13, 2: Sed forte in exploratores ab eo praemissos incidit natione Mardus. IV 9, 15: deinde ut speculatores praemissi tuta omnia nuntiaverunt . . . IV 10, 9: speculatores, qui praemissi erant . . IV 10, 11: equites praemisit speculatum . . . VIII 2, 31: Praemissum igitur Oxarten . . . sequebatur. VIII 2, 32: Rex equite praemisso . . . supervenit. VIII 10, 2: Hephaestionem et Perdiccan cum copiarum parte praemisit ad subigendos, qui . . . VIII 11, 14: Evaserant tamen Alexander et Charus, quos cum XXX delectis praemiserat rex. VIII 11, 22: Rex Balacro, qui specularetur, praemisso . . . VIII 14, 2: Dux erat copiarum, quas praemisit, Hages. VIIII 10, 2: Leonnato deinde praemisso, ut puteos foderet . . . X 2, 16: cum quibus praemissos subsequi statui.

Ad III 12, 1 pag. 11.

Adverbio 'avide' Curtius his locis utitur: IV 16, 13: Quam cum avide turbidam hausissent. VII 5, 8: Graves deinde avide hausto humore, non sustinere arma poterant. VIIII 5, 17: Leonnatus dum avide ruentes barbaros submovet. VIIII 6, 8: cum tam avide manifestis periculis offeras corpus.

Nomine adiectivo Curtius utitur IV 7, 29: sed fortuna . . . avidos gloriae magis quam capaces facit. IV 8, 3: cognoscendae vetustatis avidum. IV 16, 23: avidum certaminis. V 1, 6: avidissima gens. V 1, 19: avida cognoscendi novum regem. V 7, 4: Rex quoque avidior fuit quam patientior. VI 5, 25: venisse reginam adeundi eius cognoscendique avidam. VI 9, 11: avida spes regni. VII 2, 21: noscendi, quae rex ageret, avidus. VII 5, 23: avidus explendi supplicii. VIIII 1, 3: avidi milites et pecuniae et gloriae. — Substantivo 'aviditas' Curtius utitur VII 8, 12: Si di habitum corporis aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet.

Ad III 12, 24 pag. 12.

'Video' idem valet quod intellego (ἔγνωκα) his locis: IV 2, 15: Alexander cum . . . longam obsidionem magno sibi ad cetera

impedimento videret fore. IV 10, 32: 'Vides ne', inquit, 'Tyriote, locum mendacio non esse'. IV 11, 8: 'Vides ne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant'. IV 16, 8: Sed tot milia suorum ponte rescisso videbat hostis praedam fore. V 12, 4: parricidio excusationem videbat offerri. VI 10, 5: cuius criminus reus sim, non video. VII 2, 14: vide, quantum fidei tuae credam. VIII 8, 13: in multis enim gentibus esse video, quae non erubescamus, imitari. X 3, 8: quod video fortes viros ⟨et⟩ erga reges suos pietatis invictae.

Ad III 13, 13 pag. 12.

Παρενθέσεις inveniuntur his locis: III 13, 5: — gazam Persae vocant —. III 13, 13: — frater hic erat Darei —. IV 2, 12: — harpagonas vocant —. IV 5, 1: — Statirae erat nomen —. IV 9, 10: — Bumelo nomen est —. IV 15, 13: — sarisophoros vocabant —. V 13, 2: — oppidum est in Paraetacene ultima —. VI 5, 18: — Bucephalam vocabant —. VI 7, 16: — Cebalino erat nomen —. VI 7, 22: — Metron erat ei nomen —. VII 2, 19: — praetor hic regius erat —. VII 3, 4: — scriba is Darei fuerat —. VII 10, 2: — Polytimetum vocant incolae —. VII 11, 5: — Artabazi hic filius erat —. VIII 10, 22: — Beira incolae vocant —. X 2, 1: — promunturium est Atticae terrae —.

Ad IV 5, 8 pag. 14.

His locis 'q u i d e m' pronomine personali coniunctum invenimus:
equidem: III 12, 18; IV 3, 23; V 8, 15; VI 3, 14; VI 9, 19; VI 10, 5; VII 1, 38; VIII 5, 19; VIII 10, 15; VIIII 1, 34; VIIII 2, 21; X 2, 16.
ego quidem: X 6, 5.
tu quidem: III 2, 18; III 12, 25; VI 5, 3; VIII 7, 15.
se quidem: VI 6, 5; VI 9, 18; VIII 10, 29.
vos quidem: IV 1, 18; IV 2, 5.
mihi quidem: VI 10, 22. vobis quidem: VIIII 6, 17.

Ad IV 5, 8 pag. 15.

Particula 'quoque' vim gradationis tenet his locis: IV 12, 24: cursu quoque; IV 16, 6: languentes quoque. V 2, 18: filii quoque. V 4, 31: ignaviam quoque. VI 8, 12: religione quoque. VII 7, 7: deos quoque. VII 8, 10: sapientiam quoque. VIII 8, 3: servis quoque. VIIII 2, 21: paucos quoque. VIIII 2, 32: solus quoque. VIIII 3, 8: Indis quoque. VIIII 3, 5: inermes quoque. VIIII 7, 3: regis quoque. VIIII 9, 23: regem quoque. X 6, 13: nomen quoque.

Ad IV 6, 9 pag. 16.

Praepositio in altero (et tertio) membro repetitur his locis:
IV 15, 22: Alexander et a fronte et a tergo hostem habebat. VI 2, 13: Sedes habent et in Europa et in Asia. VII 7, 33: Hos

. . . et *a* lateribus et *a* fronte et *a* tergo hosti ostendit. VII 9, 3: stabant et ab utroque latere et *a* fronte circumdati armatis. VIII 14, 38: Ergo undique et in pedites et in ipsum Porum tela congesta sunt. VIII 2, 28: Per vos gloriamque vestram, qua humanum fastigium exceditis, perque et mea in vos et in me vestra merita. VIII 6, 3: Placuit is locus et ad suam et ad militum requiem. VIII 7, 17: regem tandem vel de sua temeritate vel de illius ignavia iudicaturum. VII 6, 18: Illi nec de fide nec de potentia regis ipsos dubitare respondent. IV 1, 28: Aegyptios semper praetoribus eorum infestos pro sociis ipsos, non pro hostibus aestimaturos. VII 9, 18: de fortitudine, non de ira fuisse certamen. IV 14, 9: iam non de gloria, sed de salute et, quod saluti praeponitis, libertate pugnandum est. VIII 2, 26: Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus. X 5, 13: iterum, non de regno Asiae, sed de rege ipsis sanguinem esse fundendum. X 5, 27: fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum haec sola virtus fuit. X 6, 20: Nihil dico de nobilioribus quam hic est, sed de viris tantum, quibus invitis nihil perpeti necesse est. X 2, 21: nec ut cum militibus meis — iam enim esse desistis — sed ut cum ingratissimis operis agere decrevi. VII 3, 17: nunc in medio, nunc in ultimo agmine itineris multiplicato labore aderat. X 5, 11: Et cum diu nunc in veneratione, nunc in desiderio regis haesissent. VII 3, 21: ex quo Asiae omnia fere flumina alia in Rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hyrcanium et Ponticum decidunt. VII 4, 10: quod in suo quisque negotio hebetior est quam in alieno. VIII 13, 3: quippe plus in beluis quam in exercitu spei ac virium illis erat. VIII 14, 46: simplicius tamen famam aestimabat in hoste quam in cive. VIII 6, 24: Philippus in acie tutior quam in theatro fuit. VIII 7, 25: Saepe minus est constantiae in rubore quam in culpa. VIII 6, 25: plures *a* suis quam ab hoste interemptos numerabitis. VIII 8, 18: profiteor in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt. VIII 1, 37: ipsum in viros incidisse, te in feminas. X 1, 39: Coeperat rex esse praeceps ad repraesentanda supplicia, item ad deteriora credenda.

In substantivis particula 'et' sive 'ac' coniunctis praepositio iterari non solet, tamen legimus in VIII 2, 10: in acie et in castris senes facti. VIII 14, 14: Cum bestiis simul et cum egregiis viris res est. V 12, 14: sine duce ac sine imperio.

Ad IV 6, 9 pag. 16.

Ablativo gerundii Curtius his locis utitur: III 11, 5: donec vincendo locum sibi facerent. III 12, 1: Rex avidius Dareum

persequendo fatigatus. IV 4, 20: Credo ... adeundo ceteris incognitas terras elegisse sedes iuventuti. IV 9, 8: quod rapiendo occupasset. IV 15, 21: ni equites Agriani ... aversos caedendo in se obverti coëgissent. V 1, 34: Et cum vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat. VI 5, 16: Una ratio erat caedendo aperire saltum. VI 10, 12: inimici vinciendo excitaverunt. VII 4, 4: cum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturae situ tuta. VII 7, 17: Ita bellum vitando alemus. VII 7, 21: superstitionem ... incutere temptavit dicendo. VII 8, 2: singula animi consulta pensando noctem vigiliis extraxit. VII 8, 29: Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris: colendo fidem iurant. VII 11, 10: Experiendo, quae ceteri desperaverint, Asiam habemus in potestate. VIII 3, 1: fortuna indulgendo ei nunquam fatigata. VIII 4, 8: nec recusabant extingui quiescendo. VIII 14, 42: respondebo ea liberalitate, quam interrogando fecisti. VIII 14, 44: Plus monendo profecit, quam si precatus esset. VIIII, 1 23: illi clementiam regis simulque vim commemorando ad deditionem eos compulere. VIIII 2, 24: postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. VIIII 4, 33: Sed festinando morabantur auxilia. VIIII 5, 23: quam ut secando vulnus augerent. VIIII 10, 14: quantum itineris festinando praeciperent. X 2. 10: prolatando aliquantum extraxerant temporis. X 2, 29: expetam poenas hos, cum quibus me relinquitis, colendo praeferendoque vobis. X 7, 21: ne abducendo equites abrupisse a cetero exercitu videretur. X 8, 7: triduum fere consumpsit incerta consilia volvendo.

Ad IV 10, 27 pag. 17.

Asyndeta adversativa sunt haec:

III 11, 25: veris quondam, tunc alienis nominibus invocantes IV 4, 10: turrem ascendit ingenti animo, periculo maiore. IV 5, 7: leges autem a victoribus dici, accipi a victis. IV 11, 4: et ille tamen uxorem, tu hostem luges. V 2, 22: Procumbens venerari me saepe voluisti: inhibui. VI 9, 20: Sed iam non verba punienda, sunt: linguae temeritas pervenit ad gladios. VI 10, 1: Verba innocenti reperire facile est, modum verborum misero tenere difficile. VII 4, 39: Rex his quidem laetus, de Spartanis haudquaquam securus. VII 6, 11: Legati deinde Abiorum Scytharum superveniunt, liberi, ex quo decesserat Cyrus, tum imperata facturi. VII 8, 14: Quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari? Ibid: stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. VIII 1, 27: laeti audiere iuvenes, ingrata senioribus erant. VIII 5, 16: Hominem consequitur aliquando,

nunquam comitatur divinitas. VIII 12, 3: Ille facto impunitatem dedit, honorem denegavit exemplo. VIII 13, 22: Huius consilii effectum primo morata tempestas est, mox adiuvit. VIIII 2, 8: Hostem beluasque spernebat, situm locorum et vim fluminum extimescebat. VIIII 2, 33: Hostes paulo ante, nunc milites nostri. VIIII 4, 7: Quod cum ipsi augerent, hostes extinguerent. Ibid: Delebant incolae urbem, hostes defendebant. VIIII 4, 20: ubi par gloria, minus periculum esset. VIIII 7, 16: regi pernotus et gratus: invidi malignique increpabant. X 1, 11: auro abundare, inopem equorum esse. X 2, 3: Harpalum intrasse quidem Athenas ac pecunia conciliasse sibi principum animos, mox, concilio plebis habito, iussum urbe excedere ad Graecos milites pervenisse.

Ad IV 13, 9 pag. 19.

His locis accusativus pronominis demonstrativi deest apud verba pudendi, paenitendi etc.

IV 4, 2: Ceterum tam discedere irritum, quam morari pudebat (sc. eum). V 10, 15: Ac ne tum quidem cogitati sceleris paenituit (sc. eos). VI 8, 8: Meruisse mortem confiteri pudet (sc. eum). VII 5, 6: Pigebat (sc. eos) et consistere et progredi. VIII 2, 12: Quoque minus caedis puderet (sc. eum). VIII 2, 28: pudebatque (sc. eum) libertatis maius esse apud feminas quam apud viros pretium. X 7, 12: paenitebatque (sc. eos) modo consilii, modo paenitentiae ipsius.

Ad VI 2, 6 pag. 23.

Adverbium 'mox' his locis invenimus apud tempora praeterita: IV 9, 15: cuius altitudo primo summa equorum pectora, mox... cervices quoque aequabat. V 9, 11: Nabarzanes interim elapsus, mox et Bessus consecutus. VI 5, 23: cui et Dareus adsuetus fuerat et mox Alexander adsuevit. VII 11, 16: mox eadem in se patienda alieni casus ostendebat exemplum. VIII 2, 34: Arduum et impeditum saxis iter primo utcumque tolerabant, mox... sequi plerique non poterant. VIII 13, 22: Huius consilii effectum primo morata tempestas est, mox adiuvit. VIII 14, 2: mox liquidiore luce aperiente aciem hostium c quadrigas et III milia equitum venienti agmini obiecit. VIII 14, 45: Confirmatum contra spem omnium in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliore regno. VIIII 9,25: Qui primo aquis leni tractu subeuntibus cœpit levare navigia, mox totis campis inundatis etiam impulit classem. X 2, 3: Harpalum intrasse quidem Athenas ac pecunia conciliasse sibi principum animos, mox concilio plebis habito iussum urbe excedere. X 3, 12: Mox deinde... uxorem

Darei filiam duxi. X 5, 7: Ac primo ploratu lamentisque et planctibus tota regia personabat: m o x velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant. X 9, 21: m o x damnata spe salutis... confugit in templum. X 10, 18: Haec utcumque sunt credita, eorum, quos rumor adsperserat, m o x potentia extinxit.

Ad VI 3, 9 pag. 24.

Adverbium loci 'ibi' abest his locis:

III 1, 14: Vehiculum, quo Gordium, Midae patrem, vectum esse constabat, aspexit (sc. ibi). III 4, 8: Pyramus et Cydnus, inclyti amnes, fluunt (sc. ibi). III 7, 9: timere, ne non virtute hostium sed lassitudine sua vincerentur (sc. 'ibi' i. e. in planitie campisque). IV 7, 6: steriles harenae iacent. (sc. ibi). IV 7, 22: Est et aliud Hammonis nemus (sc. ibi). VI 4, 3: Nemus praealtis densisque arboribus umbrosum est (ibi). VI 4, 16: Namque perpetua vallis iacet (sc. ibi) usque ad mare Caspium patens. VI 6, 23: Praerupta rupes (sc. ibi, h. e. in proximis montibus), qua spectat orientem. VII 10, 10: Inde Bessum Ecbatana duci iussit, interfecto Dareo pœnas capite persoluturum (sc. ibi). VIII 6, 18: Iam alii ex cohorte in stationem successerant ante cubiculi fores excubituri; adhuc tamen coniurati stabant (sc. ibi) vice officii sui expleta. VIII 9, 16: Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt (sc. ibi). VIII 10, 13: Pomorum quoque varii salubresque suci sunt (sc. ibi). VIII 13, 10: Stabant (sc. ibi) ingentes vastorum corporum moles. VIIII 1, 9: Silvae erant prope in immensum spatium diffusae (sc. ibi). VIIII 2, 16: Creditisne elephantorum greges maiores esse (sc. ibi, i. e. in illa terra, quam petimus)? VIIII 9, 2: quae gentes colerent (sc. ibi). VIIII 10, 11: namque sola ea arbor gignitur (sc. ibi).

Haud multo secus dicitur V 3, 5: Sed periti locorum Alexandrum docent occultum iter esse per calles et aversum ab urbe: si paucos misisset leviter armatos (sc. ea via).

Ad VI 9, 11 pag. 25.

Ex magno numero p l e o n a s m o r u m hos afferam. III 3, 2: divinatio animi praesagientis. III 4, 6: velut sinu quodam flexuque curvatum. III 6, 14: Nec Philippus quicquam inexpertum omisit. (Similes locutiones Vogel collegit ad III 6, 14). III 11, 4: Levi et v a n o ictu pauca in hostem, plura in humum i n n o x i a cadebant. IV 2, 12: Quorum copia urbs abundabat. (Similia: IV 10, 13; IV 16, 2; V 1, 4; VI 4, 21). IV 13, 5: eximiam vastorum corporum magnitudinem. IV 14, 3: n o m i n a modo v a n a gentium ignotarum ne extimescerent. IV 15, 31: r e s i s t e n t i u m adversa ora fodiebat. V 1, 15: m e d i a m namque ab u t r o q u e l a t e r e cludunt. V 1, 38:

vulgati corporis vilitas. V 9, 4: et pertinax fortuna Persas urgere non desinit. VI 11, 15: deos patrios, gentium iura nequiquam apud surdas aures invocabat. X 5, 7: omnia tristi silentio muta torpebant.

Ad VII 5, 28 pag. 25.

'An eine Stadt herankommen' = venire, (pervenire, castra movere similiaque) ad urbem (oppidum):

III 1, 22: Iamque ad urbem Ancyram ventum erat. IV 5, 10: Rex .... ad urbem Gazam venit. VIII 10, 9: Tunc et oppidani hostem et Macedones ad urbem ipsos venisse cognoscunt. — III 4, 14: agmen pervenit ad urbem Tarson. III 7, 2: ad urbem Solos pervenerat. III 7, 5: ad urbem Mallum pervenit, inde alteris castris ad oppidum Catabolum. V 1, 16: ad Mennin urbem pervenit. VI 4, 23: ad oppidum Arvas pervenit. VII 10, 15: ad urbem Margianam pervenit. VIIII 1, 14: Ad magnam ... deinde urbem pervenit. VIIII 4, 26: Perventum deinde est ad oppidum Sudracarum, in quod plerique confugerant. VIIII 8, 17: Quarto deinde die secundo amne pervenit ad oppidum, quod ... — IV 1, 6: castra movit ad urbem Marathon. III 1, 1: ad urbem Celanas exercitum admovit. — VIII 1, 19: ipse ceteros ad urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolae duxit. — III 7, 6: per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat. VIII 11, 1: Hinc Polypercon ad urbem Noram cum exercitu missus ... VII 9, 20: Ipse ... ad Maracanda urbem ⟨contendit⟩.

Ad VIII 10, 3/4. pag. 30.

Alexander (sive Dareus) pronomine 'ipse' opponitur ducibus, praefectis, militibus suis his locis: III 1, 24: Calas huic regioni praepositus est: ipse ... Cappadociam petiit. IV 3, 1: operi Perdiccan Crateronque praefecit: ipse cum expedita manu Arabiam petiit. IV 4, 10: Biduo deinde ad quietem dato militibus iussisque ... ipse in altissimam turrem ascendit. IV 7, 3: Deinde pedestribus copiis Pelusium petere iussis ipse cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus est. IV 13, 35: Laevum cornu, sicut alias, Parmenioni tuendum datum: ipse in dextro stabat. V 3, 6: Agriani fere M Tauroni praefecto dati ac post solis occasum iter ingredi iussi. Ipse tertia vigilia ... superat ... V 3, 16: Divisisque cum Parmenione copiis illum campestri itinere procedere iubet, ipse .. V 4, 20/21: Hic Philotan et Cœnon cum Amynta et Polyperconte ... relinquit. Ipse cum armigeris et ala ... V 6, 11/12: magnaque exercitus parte et impedimentis ibi relictis

Parmeniona Craterumque praefecit. Ipse cum mille equitibus ... V 13, 19: Alexander ... Nicanorem cum equitum parte ... emittit: ipse cum ceteris sequitur. VI 4, 3: Erigyium impedimenta .... ducere iubet. Ipse cum phalange ... VI 6, 19: Itaque Philotas ... relictus ...: ipse contendit ad Bessum. VI, 6, 25: in quorum obsidione Cratero relicto, ipse Satibarzanem sequi festinat. VII 3, 2/3: Itaque Caranum et Erigyium ... ⟨eo misit⟩ ... Ipse ... gentem Euergetarum ordinavit. VII 6, 16: Alexander ... Craterum obsidere Cyropolim iubet. Ipse aliam urbem .. capit. VIII 1, 1: Hephaestionem uni, Cœnon alteri duces dederat: ipse ceteris praeerat. VIII 2, 14: Quam Clito ante destinaverat provinciam, Amyntae dedit: ipse Xenippa pervenit. VIII 10, 22: Cœnon in obsidione urbis opulentae ... reliquit: ipse ad Mazagas venit. VIII 12, 1/2: gravius agmen exercitus Cœno ... tradidit. Ipse praegressus ... VIIII 1, 19: Alexander ... partem copiarum Eumeni tradidit ... ipse ceteros ad urbem validam ... duxit. VIIII 10, 2: Leonnato deinde praemisso ... ipse cum copiis substitit. VIIII 10, 20: Praeposito igitur regioni Sibyrtio ... in Caramaniam ipse processit.

Ad X 3, 5 pag. 31.

His locis verbum abeundi absolute positum est: IV 3, 11: Aegro animi Alexandro nec perseveraret an abiret, satis certo. IV 5, 22: urbe tradita pactus, ut incolumi abire liceret, Imbrum petiit. IV 16, 9: Abeuntem, cum intactum sineret pontem, dixisse constat. IV 16, 18: impune abeuntem hostem permitteret sequi. IV 16, 25: Tandem barbari ... dispersis agminibus abiere. V 13, 13: et abeuntium agmen conspexerant. VI 5, 31: ne se irritam spei abire pateretur. VII 11, 4: Rex loci difficultate spectata, statuerat inde abire. VII 11, 23: Ille ... abire Cophen iubet. VII 11, 26: ut incolumibus abire liceat. VIII 1, 14: Quo rex repulso et abire iussō. VIII 1, 50: Abierant ceteri. VIII 3, 8: Ceterum abire conspectu iubet. VIII 13, 15: Abire cum gloria poterant. X 2, 16: tam illos acclamantes video, qui abituri sunt, quam ... X 2, 27: ego cum Persis abeuntium terga tutabor. X 6, 24: qui abeunti viam dederant. X 7, 13: et abeunte illo conticuerat magis quam elanguerat militaris favor.

Lebenslauf.

Ich, Otto Büttner, geboren zu Oberwestern in Bayern am 1. Februar 1879 als Sohn des Landwirts Gabriel Büttner, besuchte vom Jahre 1889 bis 1891 die isolierte Lateinschule in Hammelburg, von 1891 bis 1897 das K. Neue Gymnasium in Würzburg. Nachdem ich hier das Reifezeugnis erlangt hatte, hörte ich sechs Semester an der Universität in Würzburg Vorlesungen hauptsächlich aus dem Gebiete der klassischen Philologie und Geschichte und unterzog mich dann dem I. Abschnitt des philologischen Examens. Nach zwei weiteren Semestern, in denen ich mich zuerst in Würzburg, dann in München vor allem auf das Studium der Archaeologie, Philosophie und Pädagogik verlegte, bestand ich den II. Abschnitt der philologischen Staatsprüfung. Hierauf machte ich von November 1901 bis Juli 1902 den pädagogisch-didaktischen Kurs am Alten Gymnasium in Würzburg durch und wurde am 1. Oktober 1902 dem K. Luitpold-Gymnasium in München als Assistent beigegeben.

In dankbarer Gesinnung gedenke ich als meiner Lehrer der Professoren Graßberger †, M. von Schanz, Sittl †, Unger, Wolters in Würzburg, von Christ, von Müller, Furtwängler, Lipps in München. Für vorliegende Arbeit selbst habe ich viele Anregungen von Professor Stangl in Würzburg erhalten.